Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
6 D
3

M

5-13-A-6-

R. II ed. To. II, p. 100 n. 12 -

Digitized by Google

68 - 6 - D - 3

LVCAE PAETI IVRISCONSVL.

DE MENSVRIS, ET PONDERIBVS ROMANIS, ET GRAECIS,

CVM HIS QVAE HODIE ROMAE SVNT COLLATIS

LIBRI QVINQVE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EIVSDEM VARIARVM LECTIONVM LIBER VNVS

AD SANCTISSIMVM OPTIMVMQVE PRINCIPEM PIVM QVINCTVM PONT. MAX.



EX. PRIVILEGIO MAXIMILIANI.II IMP. CAES. AVG.

VENETIIS MDLXXIII.

OPTIMO SANCTISS. Q. PRINCIPI PIO QVINCTO PONTIFICI MAXIMO

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

LVCAS PAETVS FELICITATEM.

CVM DIVINA mens tua, & numen, Pater beatiſsime, ad prolapſos Chriſtianae Reipublicae mores priſtinae pietati reſtituendos, Chriſtianosq. Principes aduerſus immaniſsimum Turcarum tyrannum, in Rempublicam Venetam ſaeuientem, tecum coniungendos, nec ſolum conſilijs, uerum etiam pecunia ſtrenuiſsimisque Duce & militibus, adiuuandos incumberet: non audebam haec, quae ad antiquorum ponderum, menſurarumque cognitionem, humanaeque uitae utilitatem ſcripſeram, & tuae Beatitudini dicaueram, legenda porrigere, timens ne non apto tempore diuinam tuam mentem, tot tantisque cogitationibus occupatam, interpellarem, animique tui offenſionem ſubirem. Poſtquam autem cognoui, eam non ſolum his actionibus ſumma uigilantia inſiſtere, ſed nihil, quod ad bene beateque uiuendum attinet, intactum relinquere: nempe Eccleſias etiam antiquitate collapſas, non ſolum parietibus, tectis, aris, ſacris uaſis,

 ueſti-

ueſtimentis, ornamentiſque muniri ornarique feciſſe: uerum etiam eas, debitis horarum Canonicarum temporibus à ſuis clericis & ſacerdotibus finito numero frequentari: male alienata ipſarum eccleſiarum bona uindicare: Seminarium quoq. optimae ſpei adoleſcentium, futurorum Arae omnipotentis Dei miniſtrorum, quod tam diu totque uotis exoptatum fuerat, in dies augeri: Sanctimonialium, Deoque gratiſſimarum Virginum clauſtra, ſeueriſſime cuſtodiri: Religioſorum monachorum fratrumque domos & ordines, qui pene omnem a piiſſimis Patribus traditam regulam & diſciplinam abiecerant, priſtinae religioni reſtitui, ſancteq. & canonice regi: ſed & clericorum habitum (quod fruſtra ſaepius tentatum fuerat) ab iis, qui ſacris initiati non ſunt, non ſolum dignoſci & ſeparari, uerum etiam ad debitam modeſtamque formam reduci: utque Iuſtitia ſuos rectos expeditosque tramites habeat, non ſolum Iudicum, cauſſarumq. patronorum, uerum etiam eorum, qui cauſſas promouent, fidem, mores, & peritiam recenſeri. Quin etiam nec tuae ſanctae ſenectuti, & ualetudini parcens, in tanta rerum gerendarum mole, pauperum oppreſſorum querellas, ſingulis menſibus (uacuis ad id auribus paratis) publice cunctis aſtantibus iudicibus, ad tuam Sanctitatem referri: Non minus & Tribunalium omnium actuariorumque notariorum prolapſas conſuetudines & auaritiam a ſeueriſſimis ad id electis cenſoribus tolli, debitiſque finibus coerceri:

Carceres

Carceres quoque in ampliorem commodioremque formam ad pauperum reorum ſolatium fieri, ipſorumq. carceratorum curam humane tractari, & , quemadmodum innocentes abſolui, ſic impios ſceleratosque debitis ſupplicijs, nulla in auro ſpe relicta, ſeuerißime puniri. Sed & , quod maxime ad legitimam prolem ſanctamq. fidem pertinet, Matrimonia, Baptiſmatum fontes, Animarumque curam, pie ſancteque cuſtodiri. Quinetiam Judaeos, ſumma omnium optimorum laetitia, & fidelium alacritate, a Chriſtianorum paene commercio ſeparari, habitu diſtingui, habitatione ſeiungi, & clauſtro coerceri. Meretrices quoque in tanta peccandi licentia bonos mores peßimis exemplis corrumpentes, relegari & concludi imperaſſe & effeciſſe. Sed etiam decori & ornamento tuae urbis Romae proſpiciendo, Aquam Virginem, nuper poſt octingenteſimum annum reſtitutam, (de qua re tuae Beatitudini notus fui) in fontes ſalientesque per totam urbem deſignatos conſtrui mandaſſe. Nihilque earum rerum, quae etiam minimae ſunt, propter maximas ſollicitudines a te omitti. Ea fiducia fretus, non praetermittendum putaui, ut haec, quae de menſurarum ponderumque reſtitutione, deque earum cum his, quibus Romae utimur, collatione diu a me elaborata fuerunt, Tuae Beatitudini legenda porrigerem, ut, quod tam diu inter doctißimos eruditißimosque uiros controuerſum extitit, feliciſſimis Tuae Beatitudinis temporibus, ſubq. tuo ſanctiſ-

ſimo

ſimo nomine eluceſcat. Nulli enim magis tutelam huius de menſuris & ponderibus tractatus, quam Tuae Beatitudini, conuenire iudicaui. Si quidem tu Princeps optime omnia, quae tuo numini Deus optimus maximus ſubiecit, ut optimum Principem decet, iuſtiſsima trutina regis, infallibilique menſura diſpenſas. Tua igitur Sanctitas deuoti ſui ſupplicis munuſculum benigne ſuſcipere non dedignetur, ut ſuae ſerenae frontis fiducia audeam maiora quoque excogitare, ſubque tuo ſanctiſsimo nomine, tutiſsimoque clypeo in lucem edere. Cui omnem a Deo Optimo Maximo felicitatem ſupplex precari non deſinam.

QVAE

QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

LIBRO PRIMO.

De menſuris Romanis, & Graecis, quibus interualla metiebantur.

LIBRO SECVNDO.

De menſuris, quibus hodie Romae agrimenſores, & architecti interualla, & aedificia metiuntur.

LIBRO TERTIO.

De menſuris liquidorum, & aridorum Romanis, & Graecis, deq. earum pondere.

LIBRO QVARTO.

De menſuris liquidorum & aridorum, quibus nunc Romae utimur, cum antiquis etiam pondere collatis.

LIBRO QVINCTO.

De ponderibus Romanis, & Graecis, etiam cum noſtri temporis ponderibus collatis.

LIBRO SEXTO.

Declarata & a Plinio defenſa Virgilij carmina,

Humida ſolſtitia, atque hiemes orate ſerenas
Agricolae. hiberno laetiſſima puluere farra

De qualitate anni *1569*.

De qualitate anni 1570. deq. erucis, & conuoluulis.

De numero dierum, qui ab intercalatione Dictatoris citra prolapſi uidentur, & demendi eſſent.

De reſtitutione ductus Aquae Virginis.

Adiecta ſunt in calce Quincti libri, pedis, ponderum, & nonnullorum uaſorum, & marmorum ſchemata.

Item & in fine Quincti Rhemnij Fannij Palaemonis carmina, mirum in modum ad intelligentiam menſurarum & ponderum conferentia.

NOMIN

NOMINA EORVM QVOS SEQVENTIVM quinq. librorum auctores, adiutores, & teſtes habui.

Andreas Alciatus
Aulus Gellius
Budaeus
Caius Iuriſc.
Cato
Catellianus Cotta.
Celſus Iuriſconſ.
Cicero
Cleopatra
Columella
Conſtantinus Imp.
Congius aereus Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Cardinalis Farneſij.
Dantes Alaghierius
Didacus Couarruuias.
Dioſcorides
Dodrans & Quadrans aerei
Galenus
Graecus ignotus, qui de põderibus ſcripſit
Gulielmus Philander
Hermolaus Barbarus
Hero
Herodotus
Homerus
Horatius Flaccus
Iabolenus Iuriſc.
Iulius Frontinus
Iulius Pollux
Iuſtinianus Imp.
Leonardus a Portis
Liuius
Libra aerea Illuſt. Ful. Vrſini
Lucanus
Martialis
Martianus Capella
Marmora ſculpta
Maſſae lapideae ponderales
Modeſtinus Iuriſconſ.
Oribaſius Medicus
Ouidius Naſo
Palladius
Paulus Iuriſconſ.
Pedes aerei legitimi
Pes alter aereus
Platina
Plautus
Plinius
Plutarchus
Pomponius Iuriſconſ.
Priſcianus Caeſarienſis
Proculus Iuriſconſ.
Propertius
Rhemnius Fannius
Scribonius Largus
Seuerinus Boetius
Sextans aereus
Sextus Feſtus Pompeius
Suetonius
Suidas
Terentius
Terentij Interpres
Valentini Imp.
Varro
Virgilius
Vitruuius
Vlpianus Iuriſc.
Voluſius Metianus
Xenophon.

LVCAE

INDEX EORVM QVAE QVINQVE LIBRIS DE PONDERIBVS ET MENSVRIS

continetur.

A

ACetabulum octaua pars ſextarij. pag. 43
Acetabulũ capit ſeſquicyathum. 44
Acetabuli uino pleni pondus. 44
Acetabulum dictum ab aceto. 44
Acetabulum menſura liquidorum & aridorum. 45
Accetabulum per duplex c. q̃d ſit. 45
Actus minimus. 6
Actus quadratus. 6
Aula quadrilibris Plauti. 71
Amphora primum locum in menſuris liquidorum. 21
Amphora unde dicta. 22
Amphora pro uaſe & non menſura quandoque. 22
Amphorae oleariae. 23
Amphorale uas. 23
Amphorarium uinum. 23
Amphoraria uaſa, fictilia fuiſſe. 24
Amphorarum forma. 24
Amphorarum capacitas. 24
Amphorae diuiſio. 24
Amphora Graeca. 53
Areolum. 84
Aſini ploſtrarij aratorij & quadrigarij. 51
Aſſis in agris & in hereditatibus. 3. 68
Aſſis idem ꝙ libra. 68
Aſſis pro uno. 68
Aſſipondium. 68
Atticae menſurae aridorũ & liquidorũ quid differant a georgicis & Hippoiatricis. 66

B

BAtilis uini menſura quae & quantũ pẽdeat & illius diuiſio. 32. 60
Batilis ſi cubetur cuius mẽſurae ſit. 66
Bes unciarum pedalium. 2
Bes unciarum ponderalium. 72
Bilibris. 72
Bilibris aqualis. 72
Bocalis menſura uini & olei nunc Romae. uide, Petittus.
Botte uas uinarium hodie Romae, ex quibus conſtet mẽſuris 60. & quantum pendeat. 62

C

CAballus ſiue caballata muſti. 59
Cadus. 53
Canna menſura qua hodie Romae architecti, & illius diuiſio. 16
Canna unde appellata. 17
Centumpondium, uox compoſita, ſicut dupondium, tripondium. 69
Centumpondium incertum Catonis quid. 69
Centuria ex quot iugeris conſtet. 7
Ceramium Graeca menſura. 53
Ceratium Graecum pondus. 84
Cheme menſura Graeca. 55
Chocus menſura Graeca. 54
Choemix aridorum mẽſura Graeca. 56
Choenix mẽſura diurn cibi apud Graecos. 56

Chus ſiue choeus liquidorum menſura Graeca. 54

Cyathus ſextarij pars duodecima, & unde dictus. 45

Cyathis pocula commēſurabantur, & a numero illorum calices nomina ſumebant 45. & inde calices trientales, quadrantales, beſſales, & ſimil. 46.47.48

Cyathus conſtat ex quattuor ligulis. 46.56

Cyathus liquidorum aridorumq. menſurę. 48

Cyathus aqua uel uino plenus pendet drach. treſdecim ſcripulum unū. 48

Cyathus apud Graecos. 55

Cyathiſſare, pocula miſcere. 46

Clima menſura ex quot quadratis pedibus conſtet 6

Coclear ſiue ligula Cyathi pars quarta. 48

Cochlear paruū apud Graecos q d. 56

Concha menſura apud Graecos 59. & quid apud Latinos ibidem.

Congius pars Amphorae octaua 29. cōſtans ex ſextarijs ſex, Vini menſura, Olei menſura. 30

Congialis fidelia. 30

Congius ex qua materia. 30

Congij forma in Capitolio a Veſpaſiano imp. 94

Congius aqua aut uino plenus cuius ponderis. 30

Congius uini quo hodie Romae utimur. 58.60

Congitella olei cuius ponderis hodie. 64

Cotyla Ro. uide, Hemina.

Cotyla apud Graecos. 55.56

Cubitus Ro. palmorum ſex. 4

Cubitus Graeca menſura. 14

Culleus conſtat ex Amphoris uiginti. 49

Culleo nulla maior menſura Romanis. 50

Culleus aqua uel uino plenus pendet lib. 1600. 53

Cullei ex corio. 50

Cullei forma. 50.& 93

Culleis transferebantur uina. 52

Cullei pro menſura & uaſe. 52

Culleus menſuris noſtri temporis cōparatus. 62

D

Dactylus apud Grae. lati digiti menſura. 13

Dactylodocme, idem q Dactylus.

Decempeda. 17

Denarius ponderalis unciae pars ſeptima. 76

Denarij pondus in numiſmatibus imminutum. 76

Denarij pondus tempore Plinij erat drachmae. 78

Deunx. 72

Dextans ſexta pars pedalis menſurae 2. item & librae ponderalis. 72

Diaulus, Graecae longitudinis menſura. 14

Dipondius quid. 2.71

Dochme apud Graecos. uide, Dactylus.

Dodrans pedis 2. librae 72.73

Dolicos Graeca menſura. 14

Dolia antiqs ex opere figulino. 60 earum forma. 109

Dolia lignea noſtri temporis, utiliora teſtaceis antiquis. 62

Dolium ſupra, Botte.

Doron ex digitis quattuor. 14

Drachma Graecum pondus ad Romanos tranſiuit. 79

Drachma octaua pars unicae tam Romanae q̄ Graecae. 79.83

Duella unciae pars tertia 75. & unde dicta

dicta ibidem.

F

Folietta uini hodie Romae quãtum pendeat uino plena, quantum a ſextario Romano, quantũ a Graeco differat. 59
Folietta olei quantum pendeat. 64

G

Georgicae mẽſurae quantũ ab Atticis differant. 56.57

H

Hemina ſiue Cotyla liquidorum aridorumq. menſura continet Cyathos ſex, pendet aqua uel uino plena unc.x. 41
Hyppicon Graeca menſura. 14
Hippoiatricae mẽſurae quid ab Atticis differant. 57

I

Iugerum unde dictum. 6
Iugerum ex quot quadratis pedibus conſtet. 7
Iugerum non recte quadrauit Palladius. 7
Iugeri & petiae noſtri temporis diſcrimen. 8
Iugerum pro Rublo ſumentes, quantum errent. 19

L

Librae aereae q̃ penes Illuſt. Fuluiũ Vrſinum eſt deſcriptio. 11
Libra quae aſſis dicta Roma. pondus. 68. & ſupra, Aſſis.
Libralis. 71
Librae põderalis diuiſio, & ipſius aſſis nomina. 72
Librae diuerſarũ unciarum apud Graecos. 87.88
Libra medica Graeca. 87
Libra qua hodie Ro. utimur grauior antiqua ſcrip. quatuordecim. 82
Libripendes. 77
Ligulae ſorma. 49
Lychas apud Graecos interuallum digitorum x. 14

M

Medimnus aridorũ menſura. 56
Medius, ſiue medius petittus, menſura nunc Romae. 58. quantũ pendeat uino plenus. 60
Medius olei nunc Romae cuius ponderis. 64
Menſurae & pondera in locis publicis cuſtodiebantur. 21.68
Menſurae liquidorum tãtum quae. 25
Mẽſurae aridorũ tantum quae, & quae liquidorum & aridorum. 25
Menſurae ſicut & pondera auctae. 12
Metretes menſura. 53
Milliarium conſtat ex mille paſſibus, ſtadijs octo. 5
Milliaria xx. pro diurno itinere in ius uocatis tribui. 5
Milliaria cur Lapides appellantur. 6
Milliariorum lapidibus ſignatorum ad huc exſtare ueſtigia. 6
Milliarium Romanũ ad Graecos tranſiuit. 14
Milliarium ex quot cãnis & palmis noſtri temporis conſtet. 20
Mina Attica uetus. 83
Mina Attica Solonis. 83
Mina medica. 87
Mna. uide Mina.

Miſtrum. 55
Modius Amphorae pars tertia. 27
Modij ex qua materia. 28
Modij praeferrati. 28
Modij quattuor tritici demenſum familiae. 27
Modiales aulæ & Calices. 28
Modij cuius ponderis. 27
Monetarum bonitas ſemper decreuit. 12

O

OBolus. 84
Oleum pondere uenditum non menſura. 39
Oleum nona parte leuius aqua. 41
Orgia ex pedibus ſex. 14
Orthodorum digitorum xj. 14
Oxybaphus menſura Graeca. 55 etiam aridorum. 56

P

PAleſte. uide, Dactylus.
Palmus conſtans ex digitis quattuor. 1
Palmus quo hodie Ro. architecti utunt cum pedis dodrante modico diſcrimine concurrit. 12.16
Palmus praedictus in quas partes diuidatur. 16
Palmipes menſura. 14
Paſſus, & unde dicatur. 8
Paſſus ſenatus hodie. 17
Paſſu menſurantur ligna Romae. 17
Pes primum locum in menſuris antiquis obtinuit. 1
Pes Ro. in digitis ſexdecim uncijs duodecim diuiſus. 1
Pes Graecus longior Romano, ſemuncia Ro. pedis 5. 14
Pedis quae ſit uera mẽſura excluſis alijs hactenus demonſtratis. 8
Pedis aerei auctoris deſcriptio. 9.90.
Pedis ſextarij & quadrantalis collatio. 11
Pes Colotianus reprobatus. 9
Petia mẽſura terrae hodie Romae quãta ſit. 18
Petiae & Iugeri diſcrimen. 18
Petiae terrae quo inſtrumento metiantur. 20
Petittus ſiue bocalis uini menſura nũc Romae. 58
Petittus uino plenus cuius ponderis. 60
Petittus olei hodie Ro. cuius ponderis, & in quo a uinĩ petitto differat. 63
Plauſtrum a uehiculo quid differat. 52
Plauſtri forma. 53
Plethron Graecum. 14
Ponderum antiquorum, qui penes auctorem ſunt, deſcriptio 10.70
Ponderum antiquorum ſchemata. 90
Pondera, ſcilicet uncia, drachma, et ſcripulũ Rom. & Graecis eadẽ. 12.54
Pondera & mẽſurae publice cuſtodiebantur. 21.68
Pondera & mẽſurae ſemper auctae. 12
Pondus frumenti Rubli unius. 65
Põdus unum rerum omnium Romanis. 68
Pondo uerbum per ſe prolatum idem quod libra. 68
Pondo uncia. 69
Ponderum Romanorum cura ad quaeſtores. 70
Pondera Graecorum medicorum. 87
Pondera ueterinariorum Graecorũ. 87
Pygme Graeca menſura. 14
Pygon Graeca menſura. 14

Q

QVadrantal idem quod Amphora, & quomodo cõſtituat. 25

Qua-

Quadrantalis capacitas. 24
Quadrilibris aula Plauti. uide, Aula.
Quadrilibris, trilibris &c. 72
Quadrans pedis. 2
Quadrans librae. 72
Quartarius quarta pars ſextarij. 42
Quartarius Grae. 55
Quarta aridorum nunc menſura Romae. 65
Quartucium aridorum menſura nunc Ro. 66
Quincunx pedis. 2
Quincunx librae. 72
Quicuncialis calix. 47
Quinarius, ſiue uictoriatus. 79

R

RAtes quomodo dolijs aut cupis ſuſtinebantur. 61
Retia uenatoria cuius altitudinis apud Graecos. 18
Romani & Graeci paruo diſcrimine alimenta ſeruis praebebant. 56
Rotae curruũ quid differãt a tympanis plauſtrorum. 51
Rublum hodie terrae menſura qd. 18
Rubla terrae quomodo metiãtur. 20
Rubli terrae diuiſio. 20
Rublũ terrae ex quot iugeris antiquis conſtet. 66
Rublum terrae, Rublũ tritici purgati in prima ſementi recipit. 20
Rublum menſura aridorũ Romae. 64
Rublum ſi cubetur, cuius ſit menſurae. 66
Rublitella aridorũ mẽſura Romae. 68

S

SAlma uini, et ſalma muſti Romae quid ſit, & cuius menſurae. 58
Saltus ex quot iugeribus conſtet. 8
Scripulum unciae pars xxiiij. 81
Scripulũ ex granis 24 & quo modo. 82
Scripularis differentia. 82
Scortium aridorum menſura Ro. 66
Scortium ex quot ſextarijs conſtet. 66
Selibra & quinae ſelibrae. 71.73
Semis. 73
Semuncia. 75
Semodius. uide, Modius.
Seſcuncia ponderalis. 75
Seſcuncia pedis. 2
Sesquilibra. 72
Sesquipes. 4
Sextans pedis 2. librae. 72
Sextertium tertius ſemis. 72
Sextula unciae pars ſexta, conſtans ex ſcripu. quatuor. 76
Sextarij antiqui forma. 11
Sextarij & pedis probatio per quadrãtalem. 11
Sextarij diuiſio. 30
Vini & liquidorum menſura. 31
Olei menſura nõ tamen uenalis, Mellis, Salis, Aquae, & aridorum. 32
Sextarij aqua aut uino pleni pondus, unciarũ eſſe uiginti, ꝓbat experiẽtia & auctoritate, ceteris cõfutatis. 32
Sextarij mellis pondus. 32
Sextarius Graecis, menſura minor. 54
Sextantarium pondus. 74
Sicilicus quarta unciae pars, & unde dictus. 75
Spanna quid ſit. 16
Spitama quid. 12.16
Stadium Graeca menſura ad Romanos tranſiuit. 5.14
Stadium conſtat ex pedibus Ro. 625. ex pedibus uero Graecis. 600. 5.
Stadium ex quot cannis, et palmis noſtri temporis conſtet. 20
Staiolus agrorum nunc menſura. 17
Sympuli uſus a menſa in ſacrificijs remanſit. 45

Tale

T

Talentum apud Vitruuiũ p Graeco pondere. 71.87
Talentum paruum Atticum. 83
Talentum magnum Atticum. ibi.
Talentum Euboicum. 86
Talentum Aegyptium. 87
Tympana plauſtrorum qualia. 51
Tricongius Torquatus. 30
Trimodium. 28
Trimodia ſatoria. 28
Tryblion Graeca menſura. 55

V

Victoriatus ſemis denarij. 79
Vinum menſura ſemper uenditum. 39
Vinum defaecatum, non nigrum, non craſſum, pendet ut aqua pura. 32
Vncia pôderalis qua hodie Romae utimur ãtiqua maior & quantũ. 12.80
Vncia in quas partes diuidatur. 3.75
Vnciae pedis ad mẽſurandum & ponderalis eadem diuiſio. 76
Vncia pedis.
Vnciae pedis diuiſio a geometris. 5
Vncia mẽſuralis ſiue pedis nulla apud Graecos. 15
Vncia pôderalis eadem Ro. & Graecis poſtq̃ uncia ad illos tranſiuit. 79
Vrna unde dicta. 25
Vrna Amphorae ſemis. 25
Vrna aqua aut uino plena cuius ponderis. 27
Vrnae nomen non ſolum pro mẽſura, ſed pro uaſe. 25
Vrnae ſacrae erant inſcriptae. 26
Vrnae ex qua materia erant. 26
Vrnae cuius erant formae. 26
Vrnis conſeruabantur mortuorum cineres. 27
Vrnae uinariae, olceariae, aquariae. 26
Vrnae in quibus ſuffragia mittebantur. 27
Vrnarium quid. 26
Vtres olei incertae capacitatis. 64
Vtribus uina trãsferri ſolita. uide, Culleus.

FINIS.

omnes correcti fuerunt

Pag.	Ver.	Errores	Sic corrige
3	15	uel uncia	uncia
	17	Plinius	Pli. ubi ſupra
4	33	lineres	lineares
6	16	uallatae	uallata
	23	eruit	emit
8	20	milliare dicunt	millia redigunt
11	6	CAES	CAS.
22	38	de ora	de lora
23	1	Condita	Condito
24	1	36 c.6.	36. c.7.
25	2	uim	uini
28	19	decẽmodios	decemmodiae
29	21	Semodio	a Semodio
39	7.-9	Mẽſuram	Menſura
	28	utilitatem	uilitatem
43	1	Saetarij	Sextarij
44	35	ijs	is
48	9	ex	et
	20	ſed & minus	ſed & nõ minus
57	8	qua ille	quam illo
	20	ex	et
61	22	ſuſtinere	ſuſtineri
73	9	Semis	Semias
75	19	ſexta	ſexto
80	38	drachmae	drachmarum
81	3	ſcripuli	ſcripulis
85	28	eſſe	eſſet
99	10	arborꝝ frugũ	arborꝝ et frugũ
100	8	uſus	auſus
101	28	ſolſtitdam	ſolſtitia
115	23	forma	formae
116	37	pillis	pilis
119	2	ductos	ductus
121	1	directum	dirutum
124	9	Ceropium	Cecropium

LVCAE PAETI IVRISCONS.

LIBER PRIMVS.

De Romanorum Graecorumq. menſuris, quibus interualla metiebantur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

IAM ſatis conſtat ex iis, quae a diſertiſſimis utriuſq. aetatis uiris tradita ſunt, Pedem in Romanis menſuris, quibus longitudines, latitudines, altitudinesq. metiuntur, primum locum inter quaſcumque minores maioresq. menſuras tenere. in eo namq. minores omnes terminatur, & ab eo maiores omnes incipiũt. Priſca enim prudentia, a digiti latitudine initium ſumens, ex quattuor ex eis Palmum conſtituit: quia tot a palma digiti proficiſcuntur: & ex palmis quattuor, ideſt digitis ſexdecim, Pedem creauit, ex duobus perfectis numeris, nempe ſex & decem, unum conſtituens perfectiſſimum. Decem enim omnibus perfectus habetur, ut & Ariſtoteli problematum ſec. xv. quaeſt. iij. placuit, & Vitruuius lib. iij. c. j. & Martianus Capella de Nuptiis philologiae lib. vij. teſtantur. ſex autem a Mathematicis (ut idem Vitruuius, & Martianus Capella demonſtrant) perfectus quoq. appellatur. de quo quidem Pede Columella lib. 5. c. 1. ſic ſcripſit. Modus omnis areae, pedali menſura comprehenditur, qui digitorum eſt ſexdecim, quem rurſus pedem, ut fere res omnes reliquas in uncias duodecim, aſſem ex eo conſtituentes, idem antiqui diuiſerunt, ita ut ternis quibusq. unciis quaternos digitos complecterentur, ut ex Frontino colligi licet, in eo, quod de Aquae ductibus ſcriptum reliquit, ſic dicente: Eſt autem digitus, ut conuenit, ſextadecima pars Pedis uncia duodecima. Idemq. in eo de Limitibus

tradidit. Et exinde has unciales Pedis diuiſiones iiſdem nominibus, quibus aſſis partes, nuncupauerunt, Vnciam, Seſcunciā, Sextantem, Quadrantem, Trientem, Quincuncem, Semiſſem, Septuncem, Beſſem, Dodrantem, Dextantem, & Deuncem. De Seſcuncia, quae uncia eſt & ſemis, & de Sextante, qui Pedis ſexta pars eſt, duas continens uncias, (ut ueterum auctoritates aliquas afferamus) meminit Plinius lib. Nat. Hiſt. 36. c. 25. de pauimentis loquens his uerbis: Faſtigium uero ſeruati in Pedes denos, Seſcuncem. & lib. 13. c. 15. de cedrinis menſis: Qua in re non omittendum uidetur, Tiberio principi mēſam quattuor pedes ſextante & ſicilico excedentem, craſſitudine ſeſcunciali. Ex cuius uerbis, & illud colligi licet, uncias iſtas pedales in minores etiam partes ab antiquis diuiſas fuiſſe: quod ex infradicendis latius apparebit. ſic & quadrantem trium digitorum craſſitudinem idem Plinius appellauit his uerbis. Magnitudo ampliſſima adhuc fuit unius commiſſae ex arboribus dimidiatis duobus, a Rege Mauritaniae Ptolemaeo, quattuor pedum & ſemipedis per medium ambitū, craſsitudine quadrantali. A quo ſemipede, craſſitudinem ſemipedalem dixit idem lib. 36. c. 25. ſic & beſſales laterculos appellauit Vitruuius, qui unciarum octo latitudinis eſſent, lib. 7. c. 4. ſic dicens: Deinde tegulae bipedales ex una parte ſupra marginem canalis imponātur, ex altera parte beſſalibus laterculis pilae ſtruantur. ſic & dodrantem pro nouem pedalibus unciis, dixit Columella lib. 4. c. 1. his uerbis: Quippe ſeminibus uineaceis nimium me profundos cenſuiſſe fieri ſcrobes adiecto dodrante, ſuper altitudinem bipedaneam. Et rurſus circa eiuſdem c. finem: Sed non eſt dupondij & dodrantis altitudo, quae iſtud efficere poſſit. Quo loco Dupondiū pro duobus pedibus, quaſi pedes aſſes ponderales eſſent, accepit. Similiter Dodrantem Plinius lib. 7. c. 2. ſic ſcribens: Supra hos extrema in parte montium, ſpithamei Pygmaei narrātur ternas ſpithamas longitudine, ideſt ternos dodrantes, non excedentes. Quod & Vitruuius dixerat lib. 3. c. 3. ubi de gradibus templorum tractans inquit: Craſſitudines autem eorum graduum ita finiendas cenſeo, ut neq. craſſiores dextante, neque tenuiores dodrante, ſint collocatae. Quo loco Dextantem pro decem vnciarum ſpatio poſuit. Quem quidem in aſſem, & uncias, & unciae partes diuidēdi morem, in hereditatibus quoque Iuriſconſulti obſeruauerunt, ut Vlpianus teſtatur lege, Si ſeruum

meum

meum ad finem, de Heredibus inſtituendis : cuius haec ſunt : Hereditas plerumq. diuiditur in duodecim uncias, quae aſſis appellatione continentur. Habent autem & hae partes propria nomina ab uncia uſq. ad aſſem, ſexcunx, ſextans, quadrans, triens, quincunx, ſemis, ſeptunx, bes, dodrans, dextans, deunx, as. Sic & terrae iugerum partitus eſt Columella, qui & unciam ipſam in ſicilicum, ſextulam, ſcripulum, & ſemiſcripulum diuiſit li. 5. c. 1. nec ultra ſemiſcripulum, ideſt Graecum obolum proceſſit, etſi Seuerinus Boetius, quantum ad geometriae diſciplinam attinet, Pedalem unciam non ſolum in ſemiobolos ſex & nonaginta, & ſiliquas 144. ſed ipſam quoq. Siliquam, quae eſt ſcripuli pars ſexta ſiue oboli tertia, in duo puncta, & punctum ipſum in duo minuta, & minutum in duo momenta, diuiſerit. quae poſtremae partes potius ingenio percipi, quam oculis cerni, aut demonſtrari poſſunt, niſi adeo magnae quantitatis [redacted] uncia conſtitueretur, ut has diuiſiones reciperet. De quo etiam Sicilico (ut ad eum redeam) meminit Plinius. ſic & totius Africae aſſem feciſſe idem uidetur lib. 18. c. 6. ſic ſcribens. Sex homines ſemiſſem Africae poſſidebãt, cum interfecit eos Nero princeps. Non minus etiam has unciales partes numero appellauerunt, ut conſtat ex eodem lib. 33. c. 8. qui de lapide Heraclio, ſiue Lydio ſic dixit: Sunt autem modici, quaternas uncias longitudinis, binaſq. latitudinis non excedentes. Quin & quinariam, quae aquae eſt menſura, & unciam, & digitum menſuralem, & ipſum denique digiti ſcripulum, Frontinus in lib. de Aquaeductibus in aſſem & uncias diuiſit. Vnciae, inquit, modulus habet diametri digitum unũ, & trientem digiti. capit plus quam quinariae octaua, hoc eſt ſeſcuncia quinariae, & ſcripulis tribus, & beſſe ſcripuli. Digitus quadratus in rotundum redactus habet diametri digitum unum, & digiti ſeſcunciam Sextulam. capit quinariae dextantem. Digitus rotundus habet diametri digitum, capit quinariae ſeptuncem, ſemunciam, ſextulam. Hactenus ille. De quibus quidem unciae diuiſionibus & nominibus, & quo modo ſe ad unciam habeant, infra libro quincto ſatis dixi. A pede pedale ſpatiũ appellauit Columella, quod unius pedis menſurae eſſet, lib. 5. c. 9. his uerbis. Deinde ut arbuſculae ſpatium pedale in circuitu relinquatur, atque ita cum ſuo ceſpite planta eruatur. Sic & Bipedaneum, & Tripedaneum appellauerunt, quod duorum, aut trium pedum menſura eſſet. Columella

eodem lib.c.5. Si ante annum fiat, quam uinea conſeratur, ſcrobs in longitudinem altitudinemque defoſſus, tripedaneus abunde eſt, latitudine tamen bipedanea. De quo & lib.4.c.1. & Plinius lib.34.c.6. his uerbis. Non omittendum, quod annales annotauerunt tripedaneas his ſtatuas in foro ſtatutas, haec uidelicet menſura honorata tunc erat. A pede quoque (ut iam ad ea, quae ſupra pedem ſunt, tranſeam) fit palmipes, pro ea menſura, quae ſit palmorum quinq.i. pedis & palmi, de quo Vitruuius lib.5.c.6. Gradus ſpectaculorum, ubi ſubſellia componantur, ne minus alti ſint palmo pede, ne plus pede & digitis ſex. Et lib.10.c.20. de teſtudine ad congeſtionem foſſarum paranda. Inſuper hanc compactionem erigātur poſtes compactiles, praeter cardines pedum nouem, craſſitudine quoquo uerſus palmi pedales, interualla habentes inter ſe ſeſquipedis. Varro de re ruſt. lib.2.c.4. In haris oſtium eſſe oportet, & limen inferius, altum palmipedale: ne porci ex hara, cum mater prodit, tranſilire poſſint. Item a pede fit ſeſquipes: de quo Vitruuius, ubi ꝓxime, & Horatius in arte poetica:

Proiicit ampullas, & ſeſquipedalia uerba.

Columella lib.5.c.9. de olea: Deinde taleae ſeſquipedales ſerra praecidantur.

Cubitus quoq a pede formatur, qui eſt ſeſquipes, ideſt palmorum ſex, ut proxime dixi. idem enim cubitus eſt, & ſeſquipes. de quo Vitruuius lib.3.c.1. Cubitumq. animaduerterunt ex ſex palmis conſtare, digitiſq. uiginti quattuor. ex eo etiam uidētur ciuitates Graecorum feciſſe, uti, quemadmodum Cubitus eſt ſex palmorum, ita in drachma quoq. eo numero uterentur. ille enim aereos ſignatos, uti aſſes ex aequo ſex, quos obolos appellant, quadranteſq. obolorum, quos alij dichalca, alij trichalca dicunt, pro digitis 24. in drachma conſtituerunt.

Rurſus a Pede proueniunt Paſſus, Stadium, Milliarium, Actus minimus, Clima, Actus quadratus, Iugerum, Centuria, Saltus, de quibus ſingulatim dicendum. Interim tamen animaduertendum putaui, quod tria priora nomina, Paſſus, Stadium, Milliarium, lineares longitudines demonſtrant, quibus plerunq. geographi & ſcriptores ad locorum diſtantiam demonſtrandam utuntur, cetera uero nomina longitudines & latitudines complectūtur: ut & latius ex infra dicendis apparebit.

Paſſus, quem a paſſis ſiue diductis brachiis iuniores dictum putant,

conſtat

conſtat ex pedibus quinq. in longitudine dicente Columella lib.5.c.1.Paſſus habet pedes quinque.

Stadium Graecorum menſura fuit, cuius tamen uſus & nomen ad Romanos tranſiuit,conſtans paſſibus centum uiginti quinq. Columella ubi ſupra,Stadium deinde habet paſſus 125.ideſt pedes ſexcentos uiginti quinque. Plinius lib.2.c.23. Stadium centum uiginti quinq. noſtros efficit paſſus, hoc eſt pedes ſexcentos uiginti quinq. Ex cuius ſententia illud animaduerterunt iuniores, longitudinis diuerſae fuiſſe pedem Graecum a Latino: nam ex Herodoti & Suidae ſententia, ſtadium Graecum, quod conſtat ex Graecis pedibus ſexcentis, pedes efficit Romanos,ut Plinius declarat,ſexcentos uiginti quinq. qua ratione pes Graecus Romano pede longior eſt ſemuncia eiuſdem Romani pedis.ſexcentae enim ſemunciae conſtituunt uiginti quinq. illos pedes, qui ſexcentorum numerum excedunt. quod uerum cenſeo, etſi Plutarchus in uita C.Gracchi, infra de milliario referendus, diſcrimen iſtud non animaduertens, putauerit ſtadia octo non integrũ conficere milliare, numerans ipſe ſtadium pedum Graecorum ſexcentorum, qui octies multiplicati ſummam pedum quattuor millium octingentorũ conſtituunt: quo fit ut ad integrum quinque millium,ducenti deficiant: qui ducenti ex illa ſemuncia,qua pes Graecus Romanum excedit,conſtituuntur,ut praedixi. multa enim ſimilia inueniuntur, quae animos doctiſſimorum etiam uirorum diſtraxerunt, ut & infra notaui. Milliarium, ſiue milliare, cõſtat, ut & ipſa uox ſonat,ex paſſibus mille,ſtadiis uero octo, pedibus autem quinq. millibus, ut & Columella loco proxime relato declarat. pro quo milliare & mille paſſus leguntur. Varro de ling.lat.lib.5. Nam quod ſenſus nullus, quod abeſt mille paſſus, ſentire poſſit. Oculorum ſenſus uiſuſq. ad ſtellas peruenit. Horum milliariorum uiginti pro diurno itinere in ius uocatis praetor tribuit,ut inquit Caius Iuriſc.lege 1. ſi quis cautionibus iudicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperauerit, cuius haec ſunt uerba. Vicena millia paſſuum in ſingulos dies dinumerare praetor iubet,praeter eum diem,quo cautum promittitur, & eum,in quem ſiſtere in iudicium oportet. quod & amplius declarat Vlpianus Iuriſc.l. in itinere de uerborum & rerum ſignific. ſic inquiens: In itinere faciundo,uiginti millia paſſuum in dies ſingulos peragenda,ſic ſunt accipienda, ut, ſi poſt hanc dinumeratio-

nem minus, quam uiginti millia, ſuperſint, integrum diem occupent, uidelicet, ſi unum & uiginti millia paſſuum ſint, biduum ei attribuatur. Milliaria autem, quoniam lapideis columnis in uiis ſignari coeperunt, Lapides a ſcriptoribus appellata fuiſſe paſſim legitur. Hoc autem a C. Graccho inuentum puto: nam ante factum, non memini me legiſſe. de quo Plutarchus in illius uita. Ad haec, inquit, uiam omnem per milliaria dimenſus (capit autem paullo minus octo ſtadia milliare) columnas lapideas, ſpatij ſignandi cauſſa, locauit. Haec ille. Quo loco animaduertendum eſt, quod & paullo ante dixi, Plutarchum in eo, quod dixit, octo ſtadia paullo minus eſſe milliare, diſcrimen Romani Graeciq. pedis non animaduertiſſe. Quod autem milliaria Lapides appellarentur, clarius eſt, quam quod probatione indigeat: tribus tamē Plinij locis contentus ero. lib. 15. c. 18. de ficu Carthaginienſi a Catone in Senatu allata, Non caſtra Punica ad tertium lapidem uallata. Et lib. 31. c. 3. de aqua Virgine ab Agrippa ducta: Virginem adduxit ab octaui lapidis diuerticulo. Et lib. 36. c. 15. de ductu aquae Claudiae: Quippe a lapide quadrageſimo ad eam excelſitatem, ut in omnes urbis montes leuarentur, influxere Curtius, atque Caeruleus fontes. Quibus & illud Martialis accedat libro epig. x. de Torquato & Otacilio.

Ad lapidem Torquatus habet praetoria quartum:
Ad quartum breue rus emit Otacilius.

Quorum quidem lapidum, ſeu columnarum, non nulla ueſtigia adhuc in uia Appia, Roma Neapolim proficiſcentibus occurrūt, ſunt enim columnae lapideae: quarum & una eſt in porta ciuitatis Fundorum, in ingreſſu, ſi recte memini, a ſiniſtra, in quibus milliariorum numerus, quo columnae ipſae ab urbe diſtant, ſignatus inſpicitur.

Actus minimus habet in latitudine pedes quattuor, in longitudine pedes centum uiginti. Columella lib. 5. c. 1. Actus minimus, ut ait Varro, latitudinis pedes quattuor, longitudinis habet pedes centum uiginti:

Clima, eodem teſte Columella ubi ſupra, quoquo uerſus eſt pedum ſexaginta.

Actus quadratus undiq. finitur pedibus centum uiginti, teſte Columella loco proxime relato, & Varrone de re ruſt. lib. 1. c. 10.

Iugerum ab eo dictum eſt, quod duos in ſe iunctos actus quadratos conti-

contineat ex Columellae & Varronis ſententia locis proxime re latis. Varronis haec ſunt. Modos, quibus metirentur rura, alius alios conſtituit, nam in Hiſpania ulteriore metiuntur iugis, in Campania uerſibus, apud nos in agro Romano & Latino iugeris iugum uocant, quod iuncti boues uno die exarare poſſint. Verſum dicunt centum pedes quoquo uerſum quadratum: Iugerum, quod quadratos duos actus habeat: de quo apud Pliniū lib. 18. c. 3. ſic legitur: Iugerum uocabatur, quod uno iugo boum in die exarari poſſet; Actus, in quo boues agerentur, cum aratur uno impetu iuſto, hic erat centum uiginti pedum, duplicatusq. in longitudinem iugerum faciebat. Haec ille. Sed id, quod iugerum in Plinio legitur, iugum reſtitui debet, alioqui lapſus fuiſſet Plinius cum iugero Romano tribuiſſet, quod iugo Hiſpanico Varro tribuit. in quem errorem multi ex iunioribus, corruptam lectionē ſecuti, ceciderunt. Ex hac traditione iugeri menſurae apparet iugerum eſſe pedum quadratorum duo de triginta millium octingentorum, ex Columella lib. 5. c. 1. Ergo, ut dixi, duo actus iugerum efficiunt, longitudine pedum ducentorum quadraginta, latitudine pedum centum uiginti: quae utraeq. ſummae inter ſe multiplicatae quadratorum faciunt pedum uiginti octo millia & octingentos. Haec ille. Libet hoc in loco animaduertere, Palladium de re ruſt. lib. 2. c. 12. de iugero non recte ſenſiſſe, ait enim, quadratam tabulam iugeralem conſtare quoquo uerſu pedibus centum octuaginta. quae ſummae ſi inter ſe multiplicentur, ſummam pedum quadratorum duorum & triginta millium, & quadringentorum conſtituunt, cum ex Columella & omnium ſententia uiginti octo millium & octingentorum tantum ſit, lapſus eſt, ut arbitror, quia cum uideret iugerum in longitudine eſſe pedum 240. & in latitudine 120, quae duae ſummae coniunctae cōſtituunt ſummam trecentorum ſexaginta, putauit ille, non admodum optimus geometra, hunc numerum trecentorum ſexaginta diuidendo iugerum aequi laterum conſtituiſſe, non reminiſcens Vitruuium lib. 9. c. 1. ex Platonis ſententia tradidiſſe aream quadratam certae quoquo uerſus mēſurae ſiquis duplicare uelit, numeris aſſequi non poſſe. cui tamen ſi prope accedere uoluiſſet, latera ex pedibus centum ſexaginta nouem & dodrante & eo minus, conſtituere debuiſſet.

Centuria centum iugerum olim menſura fuit, quae poſtmodum du

plicata,& ducentorum facta,priſtinum nomen retinuit. ita Varro de re ruſt. lib.1.c.10. cuius haec ſunt: A centum Centuria dicta. Centuria eſt quadrata in omnes quattuor partes pedum ∞ ∞ c. hae porro quattuor centuriae coniunctae, ut ſint in utramq. partem binae,appellātur in agris diuiſis uiritim publice,ſaltus. Haec ille,quem Columella lib.5.c.1.ſequēs, ſic dixit: Centuriam nunc dicimus,ut idem Varro ait, ducentorum iugerum modum, olim autem ab centum iugeribus uocabatur centuria, ſed mox duplicata,nomen retinuit, ſicuti tribus dictae primum, a partibus populi tripartito diuiſae,quae tamen nunc multiplicatae,priſtinum nomen poſſident. Hactenus ille. Sed animaduertendum puto, Varronis numerum, duum millium centum, librariorum incuria, quorum culpa multa ſimilia per notas ſcripta deſiderantur, corruptum eſſe. conſtat enim,quattuor centurias ſimplices, ſeu duas duplicatas,quinquagies centies millies & ſeptingentos ſexaginta millia quadratos pedes habere, ideſt ſecundum hodiernum numerandi modum(ut ego quoq. uerbo millionis utar,quo iuniores logiſtae utuntur) pedum quinq.milliones ac ſeptingentos ſexaginta millia continere. ex eo autem Varronis numero non niſi quattuor milliones ac quadringenti decem millia colliguntur. locus igitur reſtituendus eſt,ut numerum duum millium & quadringentorum contineat: & quadrabit.

Saltus poſtremus eſt,conſtans ex iugeribus quadringētis, ut ex praedictis colligitur. & haec citra controuerſiam uera ſunt.

Pedis autem (ut ad pedem redeam) quae uera fuerit menſura, diu inter doctiſſimos noſtrae aetatis uiros diſputatum fuiſſe ſcio. nam ut ineptias quorundam, qui neſcio quas nugas de ordei ſeminibus,quae etiam ab antiquis reprobata fuerūt, repraeſentare nixi ſunt,omittam:item illa,quae Budaeus,uir alioqui doctus, & egregius,de ſuo Lutetiano pede tradidit, ab omnibus reprobato, cū nihil cum Romano commune habere dignoſcatur: Leonardus Portius Vicetinus, vir ſane doctus, primus omniū noſtrae aetatis, qui de hac re ſcripſerit, menſuram Colotiani pedis pro uera tradidit:cum nec tunc alia appareret. is autē Colotianus ex marmorea baſe ſepulcri Cn.Coſſutij ſculptoris, ut arbitror, ſumptus eſt:quae quidem baſis olim in hortis Angeli Colotij (unde Colotiani pedis nomen)ad Pincij montis radices, viri ſane doctiſſimi, erat, nunc autem in aedibus nobilis Marij Delphini, a Gentile,

eius fratre, uiro doctiſſimo & rerum antiquarum perito, comparata ſuperioribus annis, multis item aliis Epitaphiis & inſcriptionibus congeſtis, conſeruatur: quem iuniores quoq. ſecuti ſunt: cuius ſepulcri ſchema in calce operis ſubnectere uiſum eſt, ut appareat ſculptoris conſilium fuiſſe, nō exactam pedis menſuram demonſtrare, ſicut nec circinorum, nec libellae, aut mallei, ſed tantum oſtendere, cuius profeſſionis hominis cineres inibi conſeruarentur. ſicq. Colotianus hic potius anſam perquirendi legitimum pedem praebuit, quam quod ipſe legitimus ſit. Cum hac Colotiani pedis menſura Gulielmus Philander, qui ab hinc annis circiter triginta Romae floruit, in annotationibus in Vitruuium lib. 3. c. 3. pedem alterum marmoreum congruere teſtatur, in alia marmorea baſe ſepulcri T. Statilij Vol. Apr. menſoris aedificiorum Romae ſuo tempore ex Ianiculo refoſſa, & in Vaticani Pontificios hortos tranſportata, cum quo ſane conuenit modico dicrimine hic Statilianus, habens ſatis clare digitos & vncias diſtinctos, quibus ille Colotianus caret omnino. Mihi autem multis ab hinc annis pes unus aereus allatus fuit, terra rubigineq. vt refoſſus illico fuerat, obtuſus, & inuolutus, in ruderibus antiquarum ruinarum ex vrbe antiquitus euectis, ac prope & extra portam Nomentanam proiectis, inuentus. quo in loco maxima tunc Chriſolithorum copia & aliorum pretioſorum lapillorum cum plumbi fruſtulis & carbonibus, aereis clauibus, ſeris & armillis aliiſq. ſimilibus eo tempore reperiebantur, adeo ut locus ille uniuerſus, qui uineatus erat, cribro a perquirentibus fuerit euerſus, & excretus. Eſt autem pes iſte palmis, unciis, digitiſq. diuiſus complicabilis, qui cum explicatus eſt teſterula ex eodem aere anſulata, clauo in una ipſius parte affixa, clauis duobus altera parte infixis, inſeritur. atque ita clauditur, ut, niſi ea teſterula remoueatur, complicari non poſſit. in cuius ſuperficie ab altera ipſius parte litterae quaedā punctis notatae inſpiciuntur, quas tamen propter antiquitatem materieiq. tenuitatem legere aut interpretari nequiuimus: nam quadratus eſt, eius craſſitudinis, cuius gallinacea penna ex ala eſſe conſueuit, ſi illius rotunditati quadrata forma ſuppleretur. qui pes aereus dictis duobus marmoreis comparatus ſeptima unciae parte, ſiue unciae ſcripulis tribus, & duabus ſcripuli ſextulis, & ſextulae ſemiſſe breuior eſt. Cū autē diu haeſitaſſem, fruſtraq. porphyreticam illam columnam perquiſiuiſſem,

de

de qua Marlianus in ſuo de antiquitatibus urbis, & Philander, ſaepe,nec non & iuniores meminerunt, quam ego,dum iuuenis eſſem,in aede ſanctorum duodecim Apoſtolorũ ad aedes Illuſtr. de Columna inſpexeram,& in illius calce ΠΟΔ΄.Θ ſaepius legeram,alius mihi pes aereus,ſeu ex orichalco, allatus eſt, itidem ut primus,complicabilis: qui dum complicatus eſt clauo ab uno capite affixo,foramini ab altero capite exiſtẽti infixo, ita clauditur, ut ſe facile explicari non poſſit, & cum explicatus eſt ſimili teſterula,ut alius proxime relatus, ſuſtinetur, ut complicari non poſſit,palmis,unciis, digitis, & ſextula diſtinctus. quo factum eſt, ut incertior eſſem multo,quam prius. inueni enim eum nona ipſius Colotiani & Statiliani unciae parte illis longiorem eſſe, & illo priore aereo unciae illius parte tertia, ſiue duella, cuius pariter longitudinis illum ex porphyreticae columnae menſura ſumptum, Philander, qui eam columnam ſe metitum fuiſſe teſtatur, loco ſupra relato exſtitiſſe conſtanter aſſerit. Quamobrẽ ulterius perquirẽdo inueni duos alios aereos pedes,ita ut praedicti,com plicabiles,cũ ſuis anſulatis teſſerulis & clauis,eiuſdemq.fere craſſitudinis, cuius ille meus primo loco deſcriptus, pariter palmis, unciis,& digitis diſtinctos,penes illuſtrem Fuluium Vrſinum,Ca nonicum Lateranenſem, uirum bonarum litterarum eruditiſſimum,& rerum antiquarum peritiſſimum,& affluentiſſimum,cum illo priori meo etiam longitudine ad amuſſim conuenientes, aliumq. omnino praedictis ſimilem, penes praefatum nobilem Marium Delphinũ,qui tamen tribus praedictis longior eſt, quan tum eſt vnciae ſcripulum, & ſcripuli triens; eoſq. exinde, meum ſcilicet & Illuſtr. Fuluij triplici teſtimonio, atque omnium litteratorum,qui Romae ſunt,aſſenſu comprobatos, pro uera & legitima antiqui pedis menſura,proq. ueris & antiquis pedibus men ſuralibus habui,& palam facere non dubitaui. Sed non eo minus inueſtigare libuit, ſi ratione aut coniectura aſſequi poſſem,unde horum aereorum pedum meorum diſcrimen oriretur. habebam enim pro comperto, illum meum maiorem, Graecum pedem nõ eſſe,cum Graecus pes, ut ſupra tradidi, ſemuncia Romano pede maior ſit,meus autem ille uix tertia unciae parte ſiue duella iſtos alios ſuperaret. quamobrem cum haberem penes me antiquam ſelibram lapideam admodum incorruptam cum hac in ſuperiori planitie nota, S. & dodrantem unum aereum,ac quadrantem pa

riter

riter aereum unum, maſſamq;. lapideam alteram pariter integrā & incorruptam pondo librarum decē, alteramq. libr. 4. inuicem concordantes, & reſpondentes, etiam cum alia aerea libra penes praefatum Illuſtrem Fuluium exſiſtente, in cuius ſuprema planitie argenteis litteris haec erat nota, I. & in circunferētia hac aliae EX. AVC. D. CA[illegible]S. necnon & cum alio eiuſdem ſemiſſe aereo, ideſt unciae ſex, inuicem pariter conuenientes & concordantes, ſextarium formari curaui, qualem me in manibus Angeli Colotij, dum iuuenis eſſem, uidiſſe memineram. erat enim forma rotunda, plana baſe, altior quam latior, ab imo ad ſummū aequalis, cum inſcriptione Honorij Imperatoris: huncq. ita a me formatum ſextarium, ita modulatus ſum, & uiginti unciarum ex praedictis ponderibus formatis, purae aquae ex ciſterna, quae pluuia eſt, capax eſſet. Dein ex eo communi pede, quem legitimum me credere dixi, quadrantal cupreſſinis tabulis, quae omnium minime humore aut ſiccitate mouentur, formari feci, ſicque ſextarium praedictum cum hoc quadrantali, purgato cribratoq. milio, quo Romae menſurae examinari conſueuerunt, examinaui, diligentiq. cognitione adhibita inueni, quadrantal praedictum octo & quadraginta ſextariis expleri, & plenum euacuari, regula radulā ſemper adhibita, ita ut nihil nec de ſextario nec de quadrantali ſupereſſet, aut deficeret. cumq. apud me eſſet alius ſextās aereus ponderis maioris aliis praedictis, in quo in ſuperiori planitie ita notatum inſpicitur ☊.B. ideſt unciae duae, inter cuius ſextantis unciam, & illam relatorum aliorum ponderum grana unum & uiginti, ex noſtri temporis uncia ſumpta, intercedunt, quibus haec illis maior eſt. (de his autem granis intelligo, quorum quattuor & uiginti ſcrupulum conſtituunt) rurſus alium ſextarium priori ſimilem fieri feci, qui uiginti unciarū eiuſdem aquae ex ciſterna capax eſſet: pariterq. aliud quadrantal ex illo maiori aereo pede formatum habui, diligentiq. examine ut prius feceram adhibito, non minus ſextarium hunc ex maioribus unciis, cum hoc quadrantali ex maiori pede formato, conuenire reperi, quam ſextarius ex unciis prioribus cum priore formato quadrantali conueniſſet. unde coniecturam feci, hunc maiorē pedem & unciam poſterioris & fere ultimi temporis fuiſſe: quia hodie quoq. Romae uncia maior praedictis reperitur: ut credere liceat, paullatim pondera ad hanc, quae nunc eſt, ponderis magnitudinem excreuiſſe,

ſicut

ſicut ex contrario monetarum bonitas & pondus decreuit, & in dies magis decreſcit. Sed haec ex cōiectura dicta ſint. Ceterum, ut praedixi, aſſerere tot teſtimoniis & experimentis non dubito, Romanum antiquum & legitimum pedem illum eſſe, qui ex tribus aereis praedictis colligitur, marmoreis reiectis: quia, ut etiam praedixi, non eum finem ſculptoris fuiſſe credendum eſt, ut exactam pedis menſuram demonſtraret, ſed ut oſtenderet inſtrumenta profeſſionis hominis illius, cuius oſſa aut cineres eo in ſepulcro clauderentur: cum contra finem eorum artificum, qui pedes aereos tanta ſubtilitate formauerunt, credendum ſit eum fuiſſe, ut illorum menſurae eſſent legitimae, & ad metiendum iuſte ſpatia deſeruirent: quorum & omnium menſuras & ſchemata in operis calce ſubnectere uiſum eſt. Verum lector candide, ut ea, quae in ſequentibus dicturus ſum, planius intelligas, ſcire te equidem uolo, antiqua pondera (quae Romanis & Graecis communia fuiſſe ex iis quae lib. quincto dicentur, facile intelliges) non eadem fuiſſe cum iis, quibus hodie Romae utimur. nam libra, quae Romae, ut olim, ſic hodie una eademq. eſt omnibus argentariis, monetariis, medicis, ueterinariis, pharmacopolis, laniis, piſcariis, & demum negotiatoribus omnibus, & tam ciuibus, quam agricolis cōmunis, maior eſt antiqua libra, ſcripulis quattuordecim: quae ſcripula uelim intelligas de iis, quae a libra inſtantis tēporis proficiſcuntur, & de quibus quattuor & uiginti unciam conſtituunt, & quae rurſum ſcripula ſingula (ex receptiori medicorum ſententia, ut lib. quincto dicam) in partes quattuor & uiginti, grana appellata, diuidantur. quo fit, ut vnciae Romanae temporis inſtantis undecim, drachmae tres & ſcripulum unum, antiquam libram, de qua ſupra memini, peraequent: uncia uero noſtri temporis, maior ſit uncia antiqua, ſcripulo uno & granis quattuor, quae ratio ad calculum ineundum, dum antiquas liquidorum aridorumque menſuras, cū noſtri temporis menſuris pondere examinabimus, neceſſario tenenda eſt. Non minus & aliud te ſcire uolo, quod palmus, quo hodie Romae Architecti utūtur, de quo cum reliquis ab eo proficiſcentibus menſuris ſequenti libro dicam, ſi cum legitimi antiqui pedis dodrante, ideſt unciis nouem, (quem dodrantem Plinius, ut ſupra retuli, ſpithamam, uocabulo a Graecis mutuato, appellat) conferatur, & examinetur, palmus ipſe dodrāte, ſeu ſpithama, quantū ſunt duae nonae partes unciae

pedis

pedis praedicti, id eſt unciae ſextula, ſcripulo uno, & triente ſcripuli, longior eſſe reperitur. quod ſi palmus idem cum altero ſupra relato pede commetiatur, qui maior eſt, & qui cum prophyretico illo concordat, (ſi uera Philander dixit) & quem poſteriorum & poſtremorum temporum fuiſſe exiſtimaui, & cum illius dodrante ſeu ſpithama conferatur, duorum ferme ſcripulorum differentia intercedente, quibus palmus hic dodrãte iſto minor eſt, conuonire conſtabit, ut ſubiectum in calce operis ſchema demonſtrat: ex qua etiam demonſtratione fulcitur coniectura, quam paullo ante feci, dum me credere dixi, maiorem hunc pedem ſequentium poſtremorum temporum inclinationis Romani imperij fuiſſe. nam putaui, & puto, labentibus annis, & felicitate Romani pop. decreſcente, menſuras & pondera aucta fuiſſe, & ab hoc maiore pede, & illius ſpithama ad ſpannam, de qua ſequenti libro, itum eſſe. quae tamen ita dicta ſint, ut opiner potius, quam affirmem.

De Graecis interuallorum menſuris epitome.

MENSVRARVM, quibus Graeci interualla metiri cõſueuerunt, ex iis, quae a recentioribus tradita ſunt, & iuxta eorum translationem, epitomen tradere uiſum eſt, ut in hoc quoque huius rei ſtudioſis conſultum ſit: quas cum ego ex propriis illarũ auctoribus non ſumpſerim, ita tamen ut ab aliis tradita ſunt, non quidem ut illorum laborem in meam laudẽ transferre cupiam, ſed ut operi nihil deſit, ad publicam ſtudioſorum utilitatem referre uiſum eſt. ſunt autẽ haec. Dactylus, Dochme, ſiue Dactylodochme, ſiue Palaeſte, ſiue Doron, (nã haec omnia ſynonima ſunt) Lychas, Orthodoron, Spithame, Pes, Pygme, Pygon, Cubitus, Orgya, Plethron, Stadium, Diaulus, Hippicon, Milliare, Dolichos. Quarum menſurarum quantitates & diſcrimina ſunt haec.

Dactylus, lati digiti eſt menſura e Graecis omnium minima.
Dochme,
Dactylodochme,
Paleſtae,

Doron,

Doron, quae idem ſunt, conſtant ex digitis quattuor, & ſunt idem, quod latinis Palmus.

Lychas, eſt interuallum digitorum decem, ideſt quantum quis ab extremitate indicis ad pollicis extremitatem, expanſis quanto magis fieri poteſt iis digitis, complectitur.

Orthodorum, eſt interuallum digitorum undecim, & eſt quantum quis inter primam palmae partem, ubi brachio iungitur palma, & ſupremã medij digiti complectitur: quaſi rectum palmũ dixeris.

Spithame, conſtat ex digitis duodecim, palmis uero tribus, & eſt quantum quis expanſa manu, ab extremitate digiti minimi ad ſummitatem pollicis, complecti poteſt.

Pes, eſt palmorum quattuor, digitorum ſexdecim. & hic reminiſci oportet, hunc, ſemuncia, Romano pede maiorem eſſe, ut ſupra late deduxi, dum de ſtadio, & milliario tractaui.

Pygme, eſt menſura digitorum circiter duodeuiginti, pro paruo cubito capi ſolita: & eſt quantum a brachij curuatura ad extremam manum complicatis, contractiſque digitis quis complectitur.

Pygon, eſt menſura digitorum uiginti, ipſa quoque pro paruo cubito ſumpta, & eſt quantum quis a brachij curuatura, ad extremam manũ complicatis, non tamen contractis digitis, cõplecti poteſt.

Cubitus, eſt menſura cõſtans ex palmis ſex, digitis xxiiij. & eſt quantum a brachij curuatura ad extremitatem digiti medij quis complectitur.

Orgyia, ſiue paſſus, menſura eſt conſtans ex cubitis quatuor, pedibus uero ſex.

Plethron conſtat ex pedibus in longitudine centum.

Stadium, qui & Stadius, conſtat ex pedibus in longitudine ſexcentis, ſiue orgyis centum.

Diaulus, ſpatium eſt conſtans ex ſtadiis duobus.

Hippicon, ſpatium eſt conſtans in longitudine ex ſtadiis quattuor.

Milliare conſtat ex ſtadiis octo in longitudine: & haec Graeca menſura non eſt, ſed a Romanis mutuata ex quinque millibus Romanis pedibus conſtans: ut ſupra de ſtadio & milliario dixi.

Dolichos, menſura eſt, cõſtans ex ſtadiis duodecim. & haec de Graecis: ad quarum menſurarum comprobationem duas ex multis, quae a iunioribus adducuntur, auctoritatibus referre uiſum eſt. Altera eſt Herodoti in libro, quem inſcripſit, Euterpe, cuius haec ſunt. Centum autem iuſti paſſus ſunt ſtadium unum, quod ſex ſit

plethrorum;

plethrorum: ut paſſum ſex pedibus metiamur, & quattuor cubitis, pedes autem ſint quattuor palmorum, cubitus autem ſex palmorum. Altera eſt Heronis, qui ſic ſcriptum reliquit. Stadium in longitudine habet pedes ſexcentos, Diaulus mille ducentos, Milliare ſtadia octo, Dolichus ſtadia duodecim. Reliqua ex Iulio Polluce, Heſychio, & alijs comprobantur. Has autem menſuras ſiquis in uſum deducere uelit, facile aſſequi poterit, ſi ex Romano pede, ſupra a nobis tradito, Graecum formabit, qui Romano longior ſit ſemuncia, eumq. ſic formatum, in digitos ſexdecim diuiſerit, (nam Graecis uncias menſurales, de quibus loquimur, fuiſſe, non memini me legiſſe) & cum eo ſic diuiſo ſpatia ſupra relata metiatur. Atque hic harum Graecarum menſurarum finis.

LVCAE PAETI IVRISCONS.

LIBER SECVNDVS.

De interuallorum menſuris, quibus hodie Romae utimur.

ANTIQVIS longitudinum latitudinumq. menſuris iam cognitis, operae pretium me facturum exiſtimaui, ſi eas nunc, & ſuo loco liquidorum aridorumq. menſuras, & pōdera, cum ijs, quibus Romae utimur, conferrem: ut inde architecti, & agricolae, medici quoq. & qui humanioribus litteris delectantur, notitiam & diſcrimen facile aſſequi ualeant. igitur eas hic longitudinum latitudinumq. menſuras, quibus hodie Romae utimur, enarrabo. De ijs autem loquor, quibus architecti, & agrimenſores utuntur. nam Romae magna differētia eſt inter iſtas, & illas, quibus mercatores pannorum, & ſerici, ac illas, quib us merciarij, (ita appellati) & illas, quibus textores telarum

(quae

(quae omnes & inter ſe differunt) utuntur. ſunt autem architectorum, & agrimenſorum, de quibus loquimur, hae. Palmus, Canna, ſiue Paſſus ſenatus, Staiolus, Petia, Rublum: de quibus ſingulatim tractandum. Palmus igitur inter has, de quibus loquimur, architectorum, & agrimenſorũ menſuras, ſicut & in antiquis pes, primum locum inter maiores minoresq. menſuras obtinet. Qui Palmus non idem eſt, qui antiquis, ſed triplo maior, ideſt tres ex illis capiens, & eo amplius, conſtans ex uncijs antiqui pedis nouem, & unciae ſextula, ſcripulo uno, & triente ſcripuli, ut priore libro demonſtraui. eadem tamen ratione, & a palmo appellatum fuiſſe putauerim. nam fere eſt, quantum homo recte formatus, aperta manu ab extremitate digiti minimi ad extremitatem pollicis, complecti poteſt. & hic palmus a Dante Aligerio, & in Tuſcia Flaminiaq. Spanna appellatur, quem ita quoq. in Hiſpania, & Germania appellari teſtantur Didacus Couarruuias Variarũ Reſolutionum lib. 2. c. 20. & nonnulli ex iunioribus; quem a Graeca ſpithama, quae pedis dodrans eſt, corrupto uocabulo dictum puto; de qua ſpithama Plinius ſupra etiam relatus lib. 7. c. 2. ita inquit: *Infra hos extrema in parte montium ſpithamei Pygmaei narrantur ternas ſpithamas lõgitudine, hoc eſt ternos dodrantes non excedentes.* de qua & Iulius Pollux, a iunioribus relatus, ſic dixit: Si uero digitis extenſis a pollice uſq. ad minimum metiaris, ea menſura ſpithame uocatur. Cuius ſpannae nomen & uſus a Graecis, (Imperio iam in Conſtantinopolim tranſlato) cum ipſi exarchatu Rauennate potirentur, in Etruriam, Flaminiam, Hiſpaniam, & Germaniã forſan irrepſit. & corrupte pro ſpithame ſpanna dictum eſt. & facile uſu ea menſura recepta fuit, cum unicuiq. quaſi in manu haec mẽſura eſſet. quae forſan facilitas pedis uſum in Latio, & Etruria aboleuit. Etſi non negem Spannam, ab expanſa quoq. manu, corrupto pariter uocabulo, dici potuiſſe. Hic autem noſter palmus hodie ab Architectis non ſolum in tres tertias & quattuor quartas partes diuiditur, ſed etiam in digitos duodecim, quos etiam aliqui uncias palmi appellant, rurſumq. digitos ſingulos in partes quinq. quas minuta appellãt, & minuta in duo ſemiminuta ac tertia quarta & quincta minuti parte, diuidunt, ut facilius minimam etiam interualli partem quamlibet, exprimere poſſint. Canna, quae in noſtris municipalibus iuribus, Paſſus ſenatus appellatur, conſtat ex palmis decem, inſtar decempedae,

qua

qua aliqui ex antiquis uſi ſunt, ut meminit Cicero pro Milone, & Philip. 14. Frontinus de limitibus, Suetonius in Aug. cap. 24. & Palladius lib. 2. c. 12. ex decem palmis ideo, ut arbitror, conſtituta, quia is numerus receptiori ſententia perfectus dicitur, ut & ſupra priore libro deduxi. Nomen autem Cannam a palis arundineis, quibus Romae uineae pedãtur, (qui Canne uulgo appellantur) ſumpſiſſe credo. hi enim arundinei pali, eius lõgitudinis eſſe cõſueuerunt, ut, cum terra ſemipalmari ſpatio ſint defixi, ſummitas eius extremitate digiti medii, extenſo quo ad fieri poſſit brachio, contingatur: quae menſura cum palmis decem concurrit: uel etiam forſan ex eo, quia, relictis perticis, hanc menſuram in arundinibus, quas promptiores habebant, deſignabant. Quidquid ſit haec menſura, ut dixi, in noſtris municipalibus iuribus Paſſus ſenatus, eo quia ſenatus conſulto & certa lege ea menſura ſtatuta ſit, appellatur. qua etiam uoce in menſurandis lignis, quae ad comburendum emuntur, hodie quoque utimur: ligna enim paſſu menſurantur & uenduntur, hoc modo. ſtrues lignorũ, quae palmorum trium & ſemis longitudinis ſint, conſtruuntur, ita compoſitae, ut neq. ictu calcentur, neq. tranſuerſariis aut fraude rareſcant; quae autem ſtrues erit longitudinis palmorum decem, totidemq. altitudinis, ſiue longitudinis palmorum uiginti, altitudinis palmorum quinque, Paſſus appellatur. Haec autem menſura decem palmis diuiſa, & diſtincta olim in ſtipitibus portarum ueterum palatiorum Senatoris, & Conſeruatorum, quae in Capitolio ſunt, inſculpta erat. Hodie uero, illis in meliorem auguſtioremq. formam factis, in marmorea tabula, quam in Conſeruatorum palatio poni curaui, cum ceteris interuallorum menſuris, quibus Romae utimur, cõſeruatur. Staiolus eſt menſura, qua agri menſurantur, conſtans ex palmis quinque & dodrante ipſius palmi, hoc eſt tribus quartis partibus palmi. Huius originem & nomen ab opilionum palis proueniſſe conijcio; nam ipſi palos, quibus retia ad continendas oues ſuſpendunt, ſtaiolos, eo quod ſtantes retia ſuſtineant, hodie quoque appellant, ſuntq. eius longitudinis, ut, cum terra ſemipalmari ſpatio defixi fuerint, extrema ſuperiore parte, hominis imum pectus pertingant; quae cum ea, quam dixi, menſura palmorum quinq. & dodrantis concurrit. cũ quibus forſan palis, opiliones ipſi, his ſuperioribus calamitatum temporibus, agros, quorum herbas uiliſſimo pretio emebant, for-

ſan metiri ſolebant,& ex inde in uſum certamq. menſurā translati, nomen conſeruant. Sed haec ex coniectura dicta ſint, melius autem ſentienti facile acquieſcam. Retia tamen uenatoria,altitudinis palmorum quinq. noſtri temporis,aut paullo amplius,etiam apud antiquos fuiſſe colligi licet e Xenophonte de Venatione, qui praecipit uenationum retia quinq. ſpithamas altas eſſe: quae cum de Graecis intellexerit efficit palmos noſtri temporis quinq. & digitos duos, & ſemiſſem digiti,habita ratione diſcriminis Romani & Graeci pedis,de qua priore libro abunde dixi. quae quidem retium altitudo hodie uenatoribus,& opilionibus communis eſt. opiliones etiam antiquitus retibus oues in montanis, & longinquis paſcuis continuiſſe, cōſtat ex Varrone de re ruſt.lib. 2. c.2. Hic autem ſtaiolus nihil cum antiquis mēſuris communē habet, nec ſimile. Petia eſt terrae quantitas certa. in petias enim, uineta, arundineta, & pomaria diſtribuere ſolemus, ut in iugera conſueuerunt antiqui, licet petia nō ad omnes agros ut iugerum pertineat, ſed tantum ad praedicta. Haec autem petia conſtat ex ſtaiolis quoquo uerſu quadraginta, qui inter ſe multiplicati,conſtituunt ſtaiolos quadratos mille ſexcentos, ſeu, ſi eam petiam ad cannarum menſuram reducere mauis, conſtat ex cannis in longitudine tribus & uiginti, totidemq.in latitudine,quae ſummae inter ſe multiplicatae conſtituunt quadratas cannas quingentas uiginti nouem,& haec petia cum antiquo iugero non multo diſcrimine concurrit. iugerum enim, ut dixi, eſt in longitudine pedum ducentorum quadraginta, in latitudine centum uiginti. pedes autem centum uiginti (ea ratione retenta, ut palmus hic, de quo loquimur, legitimi pedis ſit dodrās, & unciae ſextula, ſcripulum, & ſcripuli triens) conſtituunt palmos hoſce centum quinquaginta ſex in latitudine, & in longitudine duplum, ideſt palmos trecentos duodecim; quae ſummae, inter ſe multiplicatae, conſtituūt palmos quadraginta octo millia ſexcētos ſeptuaginta duos: qui ſi diuidantur per numerum centum, (ex quo palmorum numero cōſtat canna una quadrata) cannas habebis quadratas quadringentas octuaginta ſex, & palmos ſeptuaginta duos. cum autem petia, ut ſupra dixi, conſtet ex cannis quingentis uiginti nouem, perſpicue intelligitur, petiam maiorem eſſe iugero cannis quadratis quadraginta duabus, & pal. 28. & tantum a iugero differre. qua ex ſupputatione eorum detegitur error, qui iugerum

pro

pro rublo capiunt: de quo ſtatim dicam.
Rublum, ſiue Rubium, agri certa eſt menſura, conſtans (quantum ad agrorum menſuram attinet) ex petiis ſeptem: nam aridorum quoque menſura Rublum eſt, de qua quarto libro dicendum. Huius autem Rubli nomen unde prouenit, non ſolum fateor me ignorare, ſed nec aſſequi coniectura poſſe, concurrente etiam maxime ipſius nominis uarietate. In marmore enim quodã, quod in palatio Conſeruatorum eſt, ubi quaedam ſubiectio Tuſcanellorum memoriae traditur, quae anno a Chriſti ſeruatoris noſtri natali milleſimo trecenteſimo extitit, Rublum per litteram l. poſt b. hoc carmine ſcriptum legitur.

Frumenti Rubla bis millia ferre coegit.

& eiſdem litteris ſcriptum legitur inter noſtra municipalia iura, quae ante annum natalis Domini 1352. uigebant, in quibus Rublitella frumenti, & calcis, quae eſt Rubli dimidia pars, crebro legitur. & ita in antiquis uenditionum praediorum inſtrumentis, ſupra annos centum quinquaginta ſtipulatis, ſcriptum ſaepe legi. In Platina uero in uita Gregorij duodecimi, qui creatus eſt Pontifex anno 1406. Rubium, l. littera in i. mutata etiã in ueteri exemplari ſcriptum legitur, his uerbis. His autem perturbationibus adeo Romae annonae caritas inualuit, ut menſura tritici, quam Rubium uocant, decem & octo florenis uenderetur. In marmoribus uero Capitolinis ſub porticu palatij Conſeruatorum, ubi earum Rublitellarum menſurae publicae conſeruantur, Rugitella B. littera in G. mutata ſcriptum eſt. Quidquid autem ſit, Rublum iſtud (nam hoc uerum nomen puto, quia pluribus teſtimonijs comprobatur) in agri quantitate conſideratum conſtat ex ſtaiolis decem in latitudine, in longitudine ſtaiolis mille centum uiginti: quae ſummae inter ſe multiplicatae ſummam quadratorum ſtaiolorum undecim millium ducẽtorum conſtituunt: ſiue, ſi eam menſuram ad cannas redigere uolueris, conſtabit Rublum ex cannis quadratis tribus millibus ſeptingentis tribus: & ſic ex petiis, de quibus proxime dixi, ſeptem, ſiue numeres ſepties ſtaiolos mille ſexcentos, ſiue ſepties cannas quingentas uiginti nouem multiplicaueris. qua ex ſupputatione iunctis his, quae paullo ante de iugero dixi, liquido apparet quam turpiter quidam ex noſtris decepti ſint, qui cupientes Rublum in latinam uocem transferre, pro Rublo iugerum ſcriptis tradiderunt: cum iugerum ne

ſeptimam quidem Rubli partem contingat. capit enim Rublum iugera ſeptem,& iugeri ſeptuncem,ſcripula duo, & ſemiſſem ſcripuli. Petiae autem & Rubla metiri conſueuerunt ab agrimenſoribus catenula longitudinis ſtaiolorum decem, habente ſtaiolos ſuis anulis pendentibus diſtinctos. haec enim neque rore contrahitur, neque ſole relaxatur, ut in funiculis euenit, quem Rublum in ſubſiciuis in quartis quatuor & quartam, in ſcortia pariter quatuor,& ſic in ſcortia ſexdecim diuidunt: quamuis Rublum in menſura aridorum ex ſcortijs pluribus conſtet, ut quarto libro tradetur. Libet quoque hoc in loco animaduertere,quod menſura tritici Rubli unius cribrati & purgati,de qua dicto libro quarto,in prima ſementi, menſuram terrae mediocris bonitatis,unius Rubli catenae(nam ſic a catena,qua terram metiuntur,terrae Rublum appellant) ſerendo implere ſolet. Dixi autem, in prima ſementi, quia in ſecunda & tertia, eo quia propter tempeſtates, & pluuias ac frigora non nihil ſeminis emoritur, plus ſeminis, & in pingui terra minus, teſte etiam Columella lib. 2. c. 9. requiritur. a cuius ſententia nemo ex ijs qui de agricultura ſcripſerunt,diſcedit: & re ipſa uerum eſſe compertum eſt.

Milliarium,quod ex quinque millibus pedum priore libro conſtare dixi, ea ſupputatione, qua palmum pedis dodrantem, & unciae pedalis ſextulam, ſcripulum, & ſcripuli trientem eſſe demonſtrauimus, erit hodie cannarum ſexcentarum quadraginta nouem, palmorum nouem, digitorum trium.

Stadium uero, quod eſt ut dixi milliarij pars octaua, eadem ſupputatione retenta, erit cannarum unius & octuaginta, palmi unius, & digiti. Et hic harum menſurarum finis.

Menſurarum noſtri temporis notae.

P.	Palmus
Ca.	Canna
St.	Staiolus
Pet.	Petia
R.	Rublum
Sc.	Scortium

LVCAE

LVCAE PAETI IVRISCONS.

LIBER TERTIVS.

De menſuris liquidorum, & aridorum, tum Romanis, tum Graecis, deq. earum pondere.

NVNC de liquidorum aridorumq. menſuris dicendum eſt, & primo liquidorum, eis ſcilicet, quae apud Romanos fuere, in quibus Amphoram inter quaſcumque minores maioresq. menſuras primũ locum obtinere certiſſimum eſt. tametſi non nulli ex iunioribus primas ſextario in re medica, quia eo frequentius medici uterentur, attribuiſſe uideantur. ab Amphora enim minores omnes deriuant, & ex ea culleus fit, qui ea menſura maior eſt. Quam inquam Amphoram antiqui, ut Fannius refert, ex quadrato pede formauerunt, & exinde Quadrantal eam ab initio appellauerunt, eundemq. Ioui in Capitolio, ne uiolare liceret, conſecrauerunt. Mos enim fuit antiquorum, ut & hodie quoq. Romae eſt, menſuras in loco publico, ex marmore uel aere confectas, conſeruari, & cuſtodiri, ut inde, quoties res exigeret, & de legitima menſura dubitaretur, ueritas peti poſſit. de qua re Fannius ita.

Pes longo ſpatio latoq. notetur in anglo,
Angulus ut par ſit quem claudit linea triplex.
Quattuor ex quadris medium cingatur inane:
Amphora ſit cubus: quam ne uiolare liceret,
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

Cuius etiam moris teſtis eſt congius, Veſpaſiani & Titi temporibus in Capitolio poſitus, de quo infra. Sed & Imperator Valentinianus Aug. lege uniuerſali cauit, ut per ſingulas Romani Imperij ciuitates pondera, & menſurae publicae eſſent expoſitae. cuius conſtitutionis uerba titulo de ſuſceptoribus & arcarijs in decimo Codicis libro ſunt haec. Modios aeneos uel lapideos cũ ſextarijs,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

atq. ponderibus per manſiones, ſingulasq. ciuitates iuſſimus collocari, ut unus quiſq. tributarius, ſub oculis cõſtitutis rerum omnium modiis, ſciat quid debeat ſuſceptoribus dare: ita ut, ſi quis ſuſceptorum conditorum modiorum ſextariorumq. uel ponderum normam putauerit excedendam, poenam ſe ſciat competentem eſſe ſubiturum. Iuſtinianus quoq. Imperator ea poſtrema conſtitutione, quam de collatoribus tradidit, quae in authenticorum libro eſt, collatione nona, menſuras & pondera in ſacratiſſima cuiuſq. ciuitatis eccleſia cuſtodiri mandauit. De hoc igitur quadrantali (ut ad illud redeamus) meminit Plautus in Curcul. actu 1. ſce. 2. Phe. ſitit haec anus. Pa. quantillum ſitit? Phe. modica eſt: capit quadrantal. Item Cato de re ruſt. c. 119. Vbi hauſeris de mari, in dolium indito, nolito implere, quadrantalibus quinque minus ſit quam plenum. & c. 12. Ahenum, quod capiat quadrantalia triginta. Plinius lib. 14. c. 14. Licinius Craſſus & L. Iulius Caeſar cenſores, anno ab urbe condita ſexcenteſimo ſeptuageſimo quincto edixerunt, ne quis uinum Graecum Aminaeumq. octonis aeris ſingula quadrantalia uenderet. Varro de re ruſt. lib. 1. c. 57. In mille modium quadrantal amurcae. A forma autem, qua deinde, gratia commodioris uſus, huius menſurae uaſa formata fuerunt, cum utrimque anſata eſſent, Amphora appellari coepit: quae quidem anſata forma clare ex Catone colligitur c. 119. cuius haec ſunt: Poſt dies quadraginta diffundito in amphoras, & addito in ſingulas amphoras, ſaepe ſextarium unum. amphoras nolito implere nimium, anſarum infimarum fini. qua quidem Amphorae uoce plerumq. ſcriptores ad uaſa non certae, & determinatae menſurae, ut quadrantal eſt, ſed ad ipſum uaſis corpus demonſtrandum uſi ſunt, ut Cato c. 13. qui de amphora naſiterna, ideſt ad aquam continendam inter uineae inſtrumenta meminit, quam Varro de re ruſt. lib. 1. c. 22. ex aere fuiſſe interpretatur, de qua Sex. Pompeius ita ſcripſit: Naſiterna genus uaſis aquarij anſati & patentis, quale eſt quo equi perfundi ſolent. Quin etiam & in loco proxime relato, Cato de ſparteis amphoris meminit. Quo pariter ſenſu, ideſt pro uaſe, non tamen determinatae menſurae, eam accepit Columella lib. 12. c. 28. his uerbis: Hoc facto poſt ſeptimum diem rurſus uinum purgatur, & in amphoras bene picatas, & bene olidas diffunditur. & rurſus eodem lib. c. 40. de ſora loquens: Quod deinde fluxerit, aut doliis aut

de lora

ampho-

amphoris condita, & cum deferbuerit, obturato, commodius autem ſeruatur in amphoris. & c. 47. de oliuis condendis: Amphoras uſque ad fauces replent oliuis. Quin & olearias fuiſſe amphoras, ex Catone colligitur c. 12. & 15. ibi, Amphoras olearis duas, quas tamen olearias ſeparatas, & alias a uini amphoris fuiſſe infra demonſtrabo. A forma quoque amphorae Amphorale appellauit Plinius uas cryſtallinum lib. 37. c. 2. his uerbis. Idem Xenocrates auctor eſt, uas amphorale uiſum, & aliqui ex India, cryſtallum ſextariorum quattuor. Indeq. Proculus Iuriſconſ. l. fin. in fine, de tritico legato, uinum amphorariū appellauit, quod in amphoris conditum eſſet, his uerbis: Quod ſi ita eſſet legatum uinū Amphorarium, Aminaeum, Graecum, & dulcia omnia, nihil inter dulcia, niſi quod potionis fuiſſet legatū, putat Labeo, ex collatione uini amphorarij. Apud quos Iuriſconſ. promiſcue pro uaſe & menſura, uocem hanc uſurpatam fuiſſe legitur. Pompo. l. 2. eodem tit. de tritico legato: Si centum amphorae tibi, quas uelles, legatae ſint ex teſtamento agendo conſequi poteris, ut deguſtare tibi liceat. Vlpia. l. 3. eodem titulo: Si cui uinum ſit legatum centum amphorarum, cum nullum uinum reliquiſſet, uinum heredē empturum & praeſtaturum. Et paullo inferius: Sed quia credibile eſt, mentem teſtatoris eam eſſe, ut uoluerit acceſſionem uini eſſe amphoras: & ſic inquit loquimur habere nos amphoras mille, ad menſuram uini referentes. Proculus l. cum uinum, illo eo. titulo. Cum uinum heres dare damnatus eſt, quod in amphoris ſeu cadis diffuſum eſt dari debet, etiam ſi uaſorum mentio facta non eſt. Et l. Vinum, eodem titulo: Illud uerum eſſe puto, cui uinum legatum cum uaſis erit, ei amphoras cados, in quibus uina diffuſa ſeruamus, legatos eſſe. Vinum enim in Amphoras & cados hac mente diffundimus, ut in his ſit donec uſus cauſſa promatur, & ſ. cum his amphoris & cadis id uendimus. de quo quidē diffundendi promendiq. uſu alibi dixi. Idem Vlpianus l. ex eo, eod. tit. Ex eo uino, quod ex illo fundo naſcetur, heres meus amphoras decem quotannis dato. Idem quoque Vlpianus l. Vinaria uaſa, de uerborum & rerum ſignificatione aperte demonſtrat amphoras uinaria uaſa certo tempore eſſe, certo alio non eſſe, his uerbis: Eandem cauſſam amphorarum eſſe, ut, cum uinum habeant, tunc uaſis uinariis, cum inanes ſint, tunc extra numerū uinariorum ſint: quia aliud in his condi poſſit. Plinius quoq. pr

uaſe amphoram accepiſſe uidetur lib.36.c.7.de ſudinibus loquẽs his uerbis: Cornelius Nepos tradit fuiſſe magno miraculo, cum P. Lentulus Spinther, amphoras, ex eo Chiorum magnitudine cadorum, oſtendiſſet. Haec autem amphoraria uaſa fictilia fuiſſe, tum ex eo, quia picabantur, tum etiam ex his, quae Plinius dicit lib.35.c.12.colligi licet, qui de fictilibus tractãs ſic dicit. Hodieq. in templo oſtenduntur amphorae duae, propter tenuitatem conſecratae diſcipuli magiſtriq. certamine, uter tenuiorem humum duceret, quod ex his, quae quotidie Romae e terra eruũtur, apertiſſime conſtat. ſic etiam, quod longi colli eſſent, ex Catone colligitur, cap.95. Salem candidum ſic facito: amphoram defracto collo puram impleto aquae purae, & in ſole ponito. Ima autẽ parte amphoras fuiſſe acutas, non ſolum in multis antiquis ſculpturis inſpicitur, ſed etiam oculata fide ex his, quae infra terram reconditae & obrutae reperiuntur, paſſim Romae conſpicitur. ſed & amphoris non ſolum ad uina, oliuas, & cetera, de quibus ſupra, condienda antiquos uſos fuiſſe conſtat, ſed etiam ad uuas paſſas ſeruandas, tradit Columella lib.12. c.26. ſic dicens. Cum deinde modice aruerunt, in uaſa noua ſine pice, operculata & gypſata, ſicco loco reponito. Quidam uuam paſſam foliis ficulneis inuoluunt, & aſſiccant alij foliis uitigineis, non nulli plataninis, ſemiuietas uuas contegunt, & ita in amphoras recondunt.

Quadrantal iſtud, ſiue haec amphora, (ut ad inſtitutum redeamus) pro menſura ſumpta capit ſextarios octo & quadraginta, ut Feſtus teſtatur, cuius haec. Quadrantal uocabant antiqui, quẽ ex Graeco amphoram dicunt: quod uas pedis quadrati, octo & quadraginta capit ſextarios. Haec ille, quod & multis aliis argumentis, de quibus infra, probatur. Ipſa autem amphora infraſcriptas minores menſuras in ſe continet, & in has quoque diuiditur, primo in urnas duas, ſecundo in modios tres, tertio in ſemodios ſex, quarto in congios octo, quinto in ſextarios octo & quadraginta, ſexto in heminas ſex & nonaginta, ſeptimo in quartarios centum nonaginta duos, octauo in acetabula trecẽta octoginta quatuor, nono in cyathos quingentos ſeptuaginta ſex, decimo & poſtremo in cochlearia ſiue ligulas bis mille trecentas quattuor. & hic finis Romanis liquidorum aridorumq. menſuris, quae a pede ſumuntur, & infra pedem ſunt. ſupra autem quadratum pedem, ſiue amphoram, Culleus eſt, qui conſtat ex amphoris uiginti, nec eo

maior

maior menſura reperitur. de quibus omnibus ſingulatim & diſtincte tractandum cenſeo, & pondus aquae & uini cuiuſq. menſurae tradendum, ut non ſolum qualia antea fuerint, cognoſcere poſſimus, ſed etiam, eas cum noſtri temporis menſuris & ponderibus conferendo, diſcrimen percipere ualeamus. Interim tamen lector candide te haec ſcire uolo, culleum, amphoram, urnã, & congium, liquidorum tantum menſuras fuiſſe; modium & ſemodium aridorum tãtum; ſextarium, heminam, quartarium, acetabulum, cyathum, ligulam ſiue cochlear promiſcuo tam liquidorum quam aridorum in uſu fuiſſe: quod & ex infra dicendis latius apparebit.

Vrnam, quae eſt amphorae dimidium, ab eo dictam putat Varro de lin. lat. lib. 4. quod in aqua haurienda urinet ſummergendo, & emergendo. has autem non ſolum ex figlino opere, ſed etiam ex aere & ex ſparto confectas fuiſſe, ſatis aperte legitur, quod pro menſura & amphorae dimidia probat Fannius, de amphora ſic ſcribens. Huius dimidium fert urna. Columella lib. 12. c. 20. Ego tamen, ſi humida fuerit uindemia, trientem, ſi ſicca, quadrantem medicaminis, in binas amphoras miſcere ſolitus ſum, ita ut quattuor urnarum eſſet muſti modus, urna autem quattuor & uiginti ſextariorum. Haec Columella. ex cuius uerbis conſtat aperte, amphoram duas urnas, & ſextarios octo & quadraginta in ſe continere. Pro menſura etiam accepit urnam Paulus Iuriſconſ. l. tabernae, de fundo inſtructo ſic ſcribens. Item urnae aereae congiaria & ſextaria: quod & multis aliis argumentis a recentioribus probatum, adeo ut ſine controuerſia pro ueritate haberi poſſit. Nec quemquam moueant aduerſus hanc ſcribentium omnium ſententiam Catonis uerba c. 155. ubi in lege uini in doliis uendendi ita ſcripſit. Vinum in doliis hoc modo uenire oportet. Vini in culleos ſingulos, quadragenae & ſingulae urnae dabuntur: quod neque aceat, neq. muceat. Ex cuius uerbis colligi uidetur, culleum, qui ex amphoris conſtat uiginti, ut infra ſuo loco probabitur, urnis una & quadraginta repleri: quoniam id in ſua lege ea ratione adſcripſit Cato, ut emptori conſultum eſſet propter detrimentum, quod in metiendo uino per ſingulas urnas emptor pateretur: ideoq. urnam adijciendam putauit, quod & Budaeus alijq. recentiores cenſuerunt. laborabant enim nõ parum antiqui, in menſurando uini culleo uno, unico actu, ut conſtat ex eiuſdem

Catonis

Catonis teſtimonio cap. 161. dum docet quomodo uini culleum unica menſura metiri poſſis. qua de re alibi. quod autem pro uaſe & non menſura urnam quoq. antiqui uſurpauerint, probat idem Cato c. 12. & 15. ubi in inſtrumento ruſtico urnam quinquagenariam requirit. quo in loco aliter quam pro uaſe accipi non poteſt, quibuſcumq. menſuris & ponderibus examinetur. ſic & eam accepit Plautus in Rud. actu 2. ſce. 5. dum dicit:

Metuo hercle, ne illa mulier mihi inſidias locet,
Vt comprehendar cum ſacra urna Veneria.
Nempe optimo iure in uinclis enicet
Magiſtratus, ſiquis me hanc habere uiderit.
Nam haec litterataſt: ab ſe cantat, cuia ſit.

Vnde & illud notandum, quod ſacrae urnae nomina, cuius ſani eſſent, inſcripta habebant. Sparteas quoque urnas, ut dixi, fuiſſe teſtatur idem Cato cap. 13. ibi. Vrnas ſparteas ſex. & quod ex aere c. 142. ubi tractans de locis, ubi optima quaeq. utenſilia uenderentur, ita inquit. Hamae, urnae oleariae, urcei aquarij, urnae uinariae, alia uaſa ahenea Capuae. quod & Paulus Iuriſconſ. loco proxime relato teſtatur. Ex quo Catonis loco olearias & uinarias urnas, non eaſdem fuiſſe intelliges. de qua re infra. Rurſus & pro uaſe urnam accepiſſe uidetur Proculus Iuriſconſ. l. qui uinum, de tritico legato, dum inquit: Qui uinum Surrentinum in urnalibus habebat, diffuſum, is tibi legauerat uinum in amphoris, omne illud quoq. quod in urnalibus fuiſſet, legatum eſſe Labeo, & Trebatius reſponderunt. A qua quidem urna Vrnarium appellari, locum in culina & balineis, ubi urnae aquatiles retinebantur, dixit Varro de ling. Lat. lib. 4. his uerbis. Praeterea erat tertium genus menſae & quadratae uaſorum, uocaturq. Vrnarium, quod urnas cum aqua poſitas, ibi potiſſimum habebant in culina: ab eo etiam nunc ante balineum locus, ubi poni ſolebant urnae, Vrnarium uocatur. Haec ille. Ex quibus intelligi licet, urnas, de quibus Varro ima parte acutas non fuiſſe, ut erant amphorae & ſeriae, cum ſupra menſam quadratam ſeruarentur. Vrnae quoque appellabantur uaſa, in quibus mortuorum cineres recondebantur: quarum multae Romae inſpiciuntur, tum ex figulino opere, tum etiam in marmoribus ſculptae, cum ſuis inſcriptionibus, de quibus meminit Cicero Tuſc. 1.

Aſpicite o ciues ſenis Ennij imaginis urnam.

Fr

Et Ouidius ad Liuiam:

Scilicet exigua cineres condentur in urna.

Et in elegia de morte Tibulli:

Carminibus confide bonis: iacet ecce Tibullus:
Vix manet e toto, parua quod urna capit.

Vrnae quoque appellantur uaſa, in quibus Iudicum ſuffragia colliguntur. Virgil. Aen. *6.*

Nec uero hae ſine ſorte datae, ſine iudice ſedes.
Quaeſitor Minos urnam mouet. ille ſilentum
Conciliumq. uocat, uitasq. e crimine diſcit.

Haec urna, retenta ſupputatione, quam infra de ſextario tradam, uino deſaecato, non craſſo, non cocto, non nigro, aut aceto, uel aqua pura plena, pondo librarum quadraginta fuit. ſecundum quam rationem, amphoram pōdo octoginta librarum fuiſſe conſtat: ut infra latius probabitur. & ſunt hae duae liquidorum menſurae tantum, ut praedixi.

Modius, qui aridorum tantum eſt menſura, & in quo ſecunda eſt ab amphora diuiſio, amphorae pars tertia eſt. tres enim modij amphoram unam conſtituunt, ut Fannius teſtatur de amphora loquens, ut iam dixi.

Huius dimidium fert urna, ut & ipſa medimni
Amphora, terque capit modium, ſextarius iſtum,
Sex decies haurit, quot ſoluitur in digitos pes.

A qua ſententia nullus ex his, quod mihi uidere licuit, diſcedit. Quod eſſet aridorum menſura, paſſim legitur: ſed, ne ſine auctoritate pertrāſeam, probatur ex Varrone de re ruſt. lib. 1. cap. 44. ubi ita. Seruntur fabae modij in iugero quattuor, tritici quinque, ordei ſex, farris decem, ſed non nullis locis paullo amplius aut minus. & lib. 3. c. *6.* Ordei pauonibus ſingulis menſibus ſingulis modij ſinguli. Martialis x. epigr. in Criſpum:

Quando fabae nobis modium farrisq. dediſti?
Cum tua Niliacus rura colonus aret.

Horum quidem modiorum quattuor tritici, erat ſeruorum demenſum, ut dicit Terentij interpres in Phorm. actu. 1. ſce. 1. & Cato cap. *66.* his uerbis. Familiae cibaria qui opus faciant per hiemem, tritici modios quattuor, per aeſtatem modios quattuor ſemis. quibus quidem ſingulis ſeruis, ultra tritici menſuras praefatas, olei mēſtruum ſextarium, & ſalis annuum modium Cato attribuit,

tribuit, dicto c. *66*. A quo modio Modiales aulae & calices dicti ſunt, quod ſexdeçim ſextariorum, ideſt modij capaces eſſent. Plautus in Capt. actu 4. ſce.ult.

Aulas calicesq. omnes confregit, niſi quae modiales erant.

Inde & Seſquimodius, pro modio & ſemis, a Varrone de re ruſt. dictus, lib. 1. c. 7. qui de uinearum recta & ordinata diſpoſitione tractans, & quantum illa a confuſa & inordinata in fructu differat, ſic ſcripſit: Hoc licet coniectura uidere in aliquot rebus, ut nuces integras, quas uno modio comprehendere poſſis, quod putamina ſuo loco quaeque habeat natura compoſita, cum eaſdem, ſi fregeris, uix ſeſquimodio concipere poſſis. Et c. 42. de medica loquens. In iugerũ unum, ſi eſt natura temperata terra, ſcribunt opus eſſe medicae ſeſquimodium. Hinc a modio Trimodium: de quo Plinius lib. 33. cap. 1. de uſu anulorum loquens. Promiſcui autem uſus alterum ſecundo Punico bello. neq. enim aliter potuiſſent trimodia illa anulorum, Carthaginem ab Hãnibale mitti. Meminit quoque Columella lib. 12. c. 19. Funiculi quoq. fiſcellis, & lora trimodiis. Et c. 50. tradens quo modo oleum fiat: Tum ſcalae, corbulae decem modiae, Trimodiae ſatoriae quibus diſtricta bacca ſuſcipitur. Hactenus ille. Trimodia uero ſatoria, ſacculus eſt, metae inuerſae ſimilis, quem a latiori parte collo ſuſpenſum & funiculis ſeu loris alligatum, ima & acuta parte ad ſiniſtram manum reuoluta, qui hodie quoq. ſeminant plenum, ſemine ad ſemen iaciundum portant. Modios autem menſurales & ſemodios, de quibus ſtatim, non ex opere figulino, ut amphorae, ſed ex ligno fuiſſe crediderim, & praeferratos, ut hodie quoq. menſurae, quibus arida metimur, Romae pro maiori parte conſpiciuntur, ex Catone cap. 13. qui inter uineae inſtrumenta, modium praeferratum unum, ſemodium unum requirit. Nam niſi lignei fuiſſent, uix eſt ut praeferrari potuiſſent, aut praeferratione indigerent. Conſtat autem modius iſte ex ſextariis ſexdecim, ut ex Fannio probatum eſt, & facile ex calculo colligi licet. nam cum amphora conſtet ex ſextarijs octo, & quadraginta, ipſeq. modius amphorae ſit pars tertia, modico negotio dignoſcitur ſextariorum ſexdecim eſſe. Pendet autem, ſi eius capacitatis uinum purum aut aqua pura appenderetur, retenta ſupputatione praedicta, libras ſex & uiginti, & librae beſſem. nam pondus tritici, uel ordei, aut farris, uel aliorum ſeminum, certa ratione pro menſura tradere, abſur-

diſſimum

diſſimum puto: cum non ſolum frugum pondera pro regionibus mutentur, & uarient, ſed etiam eiuſdemmet fundi ſemen a ſemine eiuſdem generis pōdere diſcrepet, ita teſtante Columella lib. 2. c. 9. cuius haec ſunt. Collis enim quamuis granum robuſtius aliquanto, minus tamen tritici reddit. Quem & Palladius lib. 1. c. 6. ſecutus eſt, & re ipſa dignoſcitur. Mitto annorum & temporum qualitates: cum, ſi rubigo inciderit, quincta parte & amplius ponderis detrimentum accipiat. Ex quibus conſtat, ex ſeminibus nihil certi, & perpetui ponderis aut menſurae ſtatui poſſe: & ea, quae Plinius lib. 18. c. 7. de tritici pondere diuerſorum locorum tradidit, non praeciſe, ſed a communiter contingentibus intelligi oportere.

Semodius, modij eſt pars dimidia, amphorae ſexta, in quo eſt, ut dixi, tertia amphorae diuiſio, dictus, quia ſemis eſt modius: ſe enim pro ſemis antiqui in his frequenter uſurpauerunt, teſte Varrone de ling. lat. lib. 4. cuius haec ſunt. Semuncia, quod dimidia pars unciae: ſe ualet dimidium, ut in ſelibra, & ſemodio. Haec ille. De ſemodio quoque meminit Cato cap. ult. de ſalſura pernarum his uerbis. Salis Romanienſis moliti in ſingulas ſemodius. Idemq. Varro de re ruſt. lib. 3. c. 8. In uicenas centenas turtures fere ſemodium aridi tritici. ſemodio autem ſemodialem placentam Cato appellauit c. 83. conſtat autem ex ſextarijs octo, & aridorum eſt tantum menſura.

Congius, in quo quarta eſt amphorae diuiſio, eſt ipſius amphorae pars octaua, & liquidorum tantum menſura, conſtans ex ſextarijs ſex. a quo congio ſextarium nomē ſumpſiſſe Fannius teſtatur.

Adde duos chus ſit uulgo, qui eſt congius idem,
A quo ſextarij nomen feciſſe priores
Crediderim, quod eos capiat ſex congius unus.

Ex cuius Fannij uerſibus, ſententia eorum confundi uidetur, qui primas ſextario tribuere uelle uiſi ſunt: cum liquido appareat, ſi Fannij ſententia, ut arbitror, uera eſt, ſextarium ab alio formari, nempe a congio, cuius ille ſexta pars eſt, & non ipſum, alteram ſupra ſe menſuram formaſſe. Quod congius eſſet uini menſura, probat Paulus Iuriſconſ. loco ſupra & infra de ſextario a me relato, in quo congium, & urnam, & ſextarium inter inſtrumenta tabernae cauponae connumerat. Plinius quoque hoc probat lib. 14. c. 16. de uinis fictitijs loquens. Proximū fit e milij ſemine maturo cum

ipſa ſtipula, libram & quadrantem in congios duos muſti macerato, & poſt ſeptimum menſem transfuſo. Et paullo poſt: Graeci uero & alio modo, ramis teneris cum ſuis folijs in albo muſto decoctis tuſis, libram in tribus muſti congijs deferuefaciũt. Quod eſſet etiam congius olei menſura, eo tamen modo, ut infra declarabo, probat Liuius lib. 25. Et congij olei in uicos ſingulos dati. A congio Congialem fideliam, eo quod congij capax eſſet, appellauit Plautus in Aulul. actu 4. ſce. 2.

Sed ſi reperero, o ſancta Fides,
Mulſi congialem, plenam faciam tibi fideliam:
Id autem tibi faciam: uerum ego mihi bibam,
Vbi id fecero.

A quo etiam cõgio congiarium munus appellatum eſt, quod populo dabatur, de quo abunde Budaeus, ceteriq. iuniores. Hinc & Tricongium appellatum fuiſſe Torquatum Mediolanenſem, Tiberio imperante, refert Plinius lib. 14. c. 22. his uerbis. Apud nos cognomen etiam Nouellius Torquatus Mediolanenſis, ad proconſulatum uſq. e praetura honoribus geſtis, tribus congiis, unde & cognomen illi fuit, epotis uno impetu, ſpectante miraculi gratia Tiberio principe. Hos autem congios puto fuiſſe in communi uſu ut plurimum ex aere, ut infra de ſextario dicam, ubi formam in Capitolio poſitam temporibus Veſpaſiani, & Titi Imperatorum demonſtrabo. Congius autem uino puro aut aqua pura plenus, librarum pondo decem fuit, ut ex ſupra & infra traditis conſtat, & inſcriptio praedicti congij teſtatur.

Sextarius, in quo quincta eſt amphorae diuiſio, qui eſt, ut dixi, congij pars ſexta, amphorae uero octaua, & quadrageſima, in cyathos duodecim inſtar aſſis diuiſus fuit, ut Fannius teſtatur.

Quod ſi menſurae pondus componere fas eſt,
Sextarij cyathus pars eſt, quae eſt uncia librae.

Hic Fannius, cuius carmina nonnulli Priſciano falſo tribuerunt, Q. Rhemnius Fannius Palaemo appellatus eſt, ut eius inſcriptio in fine operis Cornelij Celſi notata demonſtrat: ne quis ulterius, quis nam fuerit, & quo tempore claruerit, haeſitet. de quo Plinius lib. 14. c. 4. his uerbis. Sed maxima eiuſdem Stheleni opera Rhemnio Palaemoni, alias grammatica arte celebri, in hiſce uiginti annis mercato rus DC. nummum, in eodem Nomentano, decimi lapidis ab urbe diuerticulo, & quae ſequuntur. de quo

etiam

etiam meminit Crinitus de poetis latinis lib. 4. in uita Lucani, cuius praeceptorem in grammatica fuiſſe aſſerit Rhemnium Palaemonem, qui principem locum inter omnes grammaticos tenuit. Ideoq. eius carmina inter Priſciani opera, qui de ponderibus ſcripſit, a benignis librarijs, & forſan ab ipſo Priſciano, ne perirent, ſi ſola uagarentur, inſerta fuiſſe credendum eſt. Non igitur ignotus eſt auctor, ut quidam exiſtimauerunt, ſed celebris, & qui feliciſſimis temporibus floruit. Vt igitur ad ſextarium redeamus, is capit eminas duas, quartarios quattuor, acetabula octo, cyathos duodecim: ut infra per ſingula probabo. Quod autem fuerit menſura liquidorum, cõſtat apertiſſime ex his, quae a Portio, Budaeo, Alciato, ceteriſq. recentioribus tradita ſunt, nempe uini uenalis ex Horatio primo ſerm. ſat. 1.

Neſcis, quid ualeat nummus, quem praebeat uſum,
Panis ematur, olus, uini ſextarius.

Paulus Iuriſconſ. l. Tabernae, de fundo inſtructo, Tabernae cauponae inſtrumento legato, etiam inſtitores contineri, Neratius exiſtimat. ſed uidendum eſt, ne inter inſtrumentum tabernae, & inſtrumentum cauponae ſit diſcrimen: ut tabernae non niſi loci inſtrumenta ſint, ut doliaria uaſa, uectiones, ancones, calices, & trullae, quae circa cenam ſolent traijci, item urnae aereae, & congiaria, & ſextaria, & ſimilia: cauponae autem cum negotiationis nomen ſit etiam inſtitores. Haec ille. Quod olei fuerit menſura, non tamen uenalis, (quia, uenale oleum non niſi pondo, uel libra menſurali uendi, memini me legiſſe) probat Cato c. 15. qui inter inſtrumenta caellae oleariae requirit amphoras olearias duas, urceum aquarium unum, urnam quinquagenariam unam, ſextarium olearium unum. Et c. 66. de cibarijs familiae loquẽs: Oleum dato unicuiq. ſextarium, ut & ſupra de modio retuli. Quod ſextarius quoque mellis, ſalis, & aquae fuerit menſura, probat Columella lib. 12. c. 25. de aqua ſalſa uel muria ad uina condienda loquens. Sic curata cum fuerit aqua, in modum defruti ad tertias decoquenda eſt. adijcitur autem in aquae dulcis ſextarios quinquaginta, ſalis ſextarius, & mellis optimi unus ſextarius. Idem eodem lib. c. 12. de aqua mulſa. Veteris aquae ſextarium cum libra mellis miſcent. non nulli autem, cum auſteriorem efficere uolunt guſtum, ſextarium aquae cum dodrante põdo mellis diluũt, & ea portione repletam lagaenam, gipſatamq. patiuntur per ca-

niculae

niculae ortum in ſole quadraginta diebus eſſe. Et paullo poſt: Deinde, cum refrixerit, ſiue dulciorem mulſum facere uolunt, duobus aquae ſextarijs ſextarium mellis permiſcent: ſi uero auſteriorem, ſextario aquae dodrantem mellis admiſcent: & his portionibus factis in lagenam diffundunt. Quod milij aliorumq. aridorum menſura eſſet ſextarius, duobus tantum locis ad probandum contentus ero, cum mille legentibus ſe offerant. Columella lib. 11. c. ult. de napo & rapa: Iugerum agri, quattuor ſextarios ſeminis eorum poſcit. Plinius lib. 18. c. 7. de milio Indico loquens: Ex uno grano terni ſextarij gignuntur. Cuius autem ponderis ſextarius uino puro, uel aqua pura, uel etiam aceto plenus fuerit, uarie a Portio, Budaeo, Alciato, ceteriſq. iunioribus traditum eſt: adeoque controuerſum, ut fere tot fuerint ſententiae, quot ſcribentium exſtiterunt capita. uerior tamen ſententia eſt, eum fuiſſe unciarum ponderalium uiginti, ſiue puram aquam, aut purum uinum, non tamen nigrum, craſſum, ſiue etiam purum acetum (nam inter iſta diſcrimen nota dignum non eſſe conſtat) appendamus. Hoc enim probatur primo auctoritate Dioſcoridis uiri ſane doctiſſimi, & in ſcribendo ſolertiſſimi, & medicae artis periti, cuius dicta cum libello de ponderibus & menſuris, qui ſub Galeni nomine circumfertur, quemq. de Graeco in Latinum nouiſſime tranſtulit doctiſſimus praeceptor meus Andreas Alciatus. Dioſcoridis autem uerba, quantum ad rem attinent, haec ſunt. Ceramium, ideſt amphora, habet libras octoginta, Vrna libras quadraginta, Congius libras decem, Semicongius libras quinque, Sextarius libram unam, uncias octo, Hemina ſeu Cotyla uncias decem: Acetabulum, quarta pars heminae, habet uncias duas ſemis: Cyathus ſexta pars Heminae, unciam unam ſemis, & ſcripulos quattuor: Chaeme, quae eſt cyathi pars quarta, habet drachmas tres, ſcripulum unum. Id autem eſt cum aquae tum aceti pondus, aiuntq. pluuialis aquae adimpleri uaſculum, certiſſimamque hanc eſſe ponderis rationem. Haec ille. Qui paullo poſt de melle ſic. Mellis amphora habet libras 120. Vrna ſexaginta, congius libras quindecim, ſemicongius libras ſeptẽ ſemis, ſextarius libras duas ſemis, hemina libram unam uncias tres. quartarius habet uncias ſeptem ſemis, acetabulum uncias ſex ſemis, & drachmas duas, cyathus habet uncias duas ſemis, chaeme, quia quarta pars eſt cyathi, drachmas quinque. Hactenus ille: cum quo, quantum

ad

ad aquae, & aceti pondus, congruit alius ignotus Graecus, eodem libello adſcriptus: cum quibus & Fannius, qui de ponderibus uariorum liquidorum ſextarij ſic ſcriptum reliquit.

Illud praeterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus uarios ſeruare liquores.
Nam librae, ut memorant, beſſem ſextarius addet,
Seu puros pendas latices, ſeu dona Lyaei.

quod etiam auctoritate Sex. Pompeij comprobatur: quem mirum eſt a tot egregijs uiris ad hanc diem obſeruatum non eſſe. is in uerbo, Publica pondera, in exemplari edito ex bibliotheca Antonij Auguſtini, Epiſcopi Ilerdenſis, uiri bonarum omnium artium eruditiſſimi, plebiſcitum retulit. quod etſi in aliquibus corruptum ſit, quantum tamen ad rem attinet, pondera quadrantalis, & congij uini, dilucide explicat. uerba autem ſunt haec. Q. Duo Silli P. & M. tribuni pl. rogarint his uerbis. Ex ponderibus publicis, quibus hac tempeſtate populus oetier qui ſolet, uti coaequatur coutatur ſedulum, uti quadrantal uini octoginta pondo ſiet. congius uini decem P. IS. ſex. ſextarij congius ſiet uini. duo de quinquaginta ſextarij quadrantal ſiet uini. Sextarius aequus aequo cum librario ſiet. Haec ille. Quibus & Oribaſius medicus adſtipulatur. Amphora, inquit, Italica capit ſextarios octo, & quadraginta, ſextarius libram unam, uncias octo. Quorum quidem ueterum traditiones ueras eſſe, experientia comperi: ſiquidem, ut primo libro latius dixi, ex eo pede, qui ex duorum conſimilium aliorum pedum teſtimonio, & omnium, qui Romae ſunt, litteratorum opinione pro legitimo habetur: quadrantali formato, eoque cum ſextario a me pariter fabricato, qui uiginti ponderalium unciarum aquae purae ex ciſterna capax eſſet, earum quidem unciarum, quas ex antiquis ponderibus, de quibus eodem primo libro dixi, ſumpſeram, examinato, comperi ſextarium ipſum pedali cubo ad unguem reſpondere. quod nuſquam cum ſextario unciarum duodeuiginti aliorumque minutorum, (ut iuniorum eſt opinio) capaci, aſſequi ualueram. Quin etiam, dum circa praedictum examen uerſarer, allatus eſt mihi ex pretioſiſſimo Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Cardinalis Farneſ. promptuario congius ex aere ſiue orichalcho, Dei optimi maxi. mi beneficio a barbarorum, temporumque iniuria uindicatus, integer admodum, niſi quod ab altera parte, qua obrutus ter-

ram attigerat, paullulum ab aerugine praeroſus erat. cuius exemplar, ita ut ſe habet, in calce operis ſubnectam: in quo haec erat inſcriptio.

IMP. CAESARE
VESPAS. VI.
T. CAES. AVG. F. IIII. COS.
MENSVRAE
EXACTAE. IN
CAPITOLIO
P. X.

Ex qua inſcriptione etſi manifeſte legerem & intelligerem congium pondo decem fuiſſe, ut Feſtus, Dioſcorides, ceteriq. ſupra nominati teſtantur: attamen, ut me omnino redderem certiorem, eum congium, obſtructis rimulis cera, pura aqua ex ciſterna uſque ad ſupremum anguſtum, ut ſchema demonſtrat, plenum feci: (nam partem latam ſupra illud anguſtum ad conſeruandum, ne menſura uiolari poſſet, factam fuiſſe exiſtimaui) ſicque plenum cum iuſtiſſima trutina, qua hodie Romae utimur, eum appendiſſem, inueni aquam, qua eum compleueram, libras noſtri temporis nouem, uncias ſex & ſemis efficere. quibus uncias quinque, drachmas quattuor, ſcripulum unum, & grana quattuordecim, quae amplius ſunt in his noſtris quam in antiquis libris, computando eum congium libras decem, & ultra ſcripulum unũ, & grana quattuordecim (de quibus nullam rationem habendam eſſe putaui) ex antiquis libris praedictis pendere inueni. Demum autem, congio praedicto cum ſextario legitimarum unciarum a me formato pariter examinato, affirmare non dubitaui, nec dubito, & libram & pedem ſupra a me relatos ueros illos antiquos exſiſtere tamdiu quaeſitos & controuerſos, ſextariumque iuxta Dioſcoridis, Fannij, & aliorum relatorum ſententias, inter quos eſt e noſtris Leonardus Portius poſt Hermolaum Barbarum, (ne ſua laude careant) unciarum uiginti ponderalium fuiſſe. Nec me mouent, quae a iunioribus ex Galeni ſententia ad probandum ſextarium Romanum unciarum uiginti non ponderalium, ut Dioſcorides & alij a me relati teſtantur, ſed menſuralium apud ipſos Romanos exſtitiſſe, adducuntur. ex cuius Gale-

ni

ni dictis ipſi eos, qui ſextarium ex uncijs uiginti conſtare tradiderunt, non de ponderalibus, ſed de menſuralibus intelligendos eſſe contendunt: quoniam, ut omittam quod hoc ſine cauillatione, tot teſtimoniis in contrarium urgentibus amplius dici non poſſit, adhuc, ſi eorum rationes & argumenta recte perpendantur, nihil ex a me relata opinione, ſeu potius ueritate infringere, aut immutare poſſunt. quas quidem rationes in medium adducere & perpendere non piget. Et quidem in primis adducunt Galeni locum lib. 1. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, ubi ita inquit: Sextarij autem Romani Heram meminiſſe arbitror. nam Athenienſibus, neque menſura, neque nomen hoc erat. nunc uero ex quo Romani rerum potiuntur, ſextarij nomen omnibus, qui Graeca lingua utuntur, exſiſtit: at ipſa menſura, Romanae aequalis nõ eſt. alius enim alia ſextarij menſura utitur. quippe ſextarius apud Romanos libram unam, & dimidiam, & ſextam ipſius partem capit: ut unciae uniuerſae ſint uiginti, quas plerumque in cornibus, quibus in orbem ductae quaedam lineae ſunt, extrinſecus inciſae metiuntur. ſed quidam falſo putauerunt ſextarium Romanum octodecim continere uncias menſurales. uidetur igitur & Heras, ſi quando cotylem ſcribit, dimidiam ſextarij partem indicare. nouem uero uncias cornu librali ſignificet, an decem, obſcurum eſt. Ex quibus Galeni locis colligunt ipſi, uncias illas uiginti in ſextario, non ponderales, ſed menſurales fuiſſe: quia erant in cornu diſtinctae lineis: non habito reſpectu ad pondus, ſed ad menſuram. quod apertius probari putant, quia Galenus uerbo, Capit, uſus eſt: quod non ad pondus, ſed ad menſuram refertur. Non minus & quia ex Columella conſtat aperte, antiquis menſurales quoque uncias fuiſſe. ait enim ille lib. 12. c. 21. de muſti conditura loquens: Deinde interpoſito biduo, cum id muſtum pariter cum defruto deferbuerit, purgatur, & ita coadijcitur in binas urnas, ligula cumulata ſeu menſura ſemunciae, bene plenae ſalis cocti & triti. Ex quo loco aperte probatur, uncias quoque menſurales antiquis fuiſſe. Secundo hoc idem, quod ſextarius uino aut aqua plenus unciarum uiginti ponderalium non fuerit, ſed menſuralium, ijdem iuniores probare nituntur tribus alijs Galeni locis. quorum primus eſt lib. 3. eodem titulo, de compoſitione medic. ſecundum gen. ubi ita inquit. Eſt autem apud ipſos Romanos menſura, qua oleum

metiuntur, interſecta lineis diuidẽtibus totum, in duodecim partes: atque menſura integra uocatur ab eis libra, duodecima eius pars uncia. Secundus eſt lib. 5. de eadem compoſi. Heras quidem, inquit, centum & octoginta drachmas ſcripſit, ad pondus oleum reducens, non ad menſuram, tanquam cotylae drachmas ſexaginta pendat. pendet enim eas Attica, quae nouem unciarum Italicarum exſiſtit. etenim nouem unciae Italicae, in cornibus interſectis diſcretae, pendent uncias ponderales ſeptem, & dimidiam: quae ſexaginta drachmae fiunt, ſi uncia una octo drachmas ceperit. ac iterum & tertio lib. *6*. de eadem compoſi. Ego tamen olei libram Romae nuncupatam, quam interſectis cornibus metiuntur, appendi aliquando, cupiens ſcire quantum ponderis haberet. inueni uero duodecim uncias menſurales, decem ponderalibus aequales. Quibus Galeni traditionibus, & eo axiomate, quod aqua & uinum nona parte ſint oleo grauiora, probatum eſſe putant, ſextarium uini & aquae fuiſſe unciarum menſuralium uiginti, ponderalium uero duodeuiginti, drachmarum quattuor, ſiliquarum duarum, granorum duorum, & duarũ tertiarum grani, olei unciarum ponderalium ſexdecim, drachmarum quinque & ſcripuli unius. Deniq. cum uiderent ipſi iuniores, praedictam eorum opinionem ex diametro cum Dioſcoridis, Fannij, & aliorum ſententia pugnare, arbitrantur, a Dioſcoride & alijs non ita recte, aut tam accurate, aut tam puri olei, ſicut a Galeno, pondera examinata fuiſſe: & tandem concludunt, ſe malle Galeno, uiro probo, quam ceteris, credere. Quibus quidem obiectis ut reſpondeam, in primis praeſuppono, quod, ſi uas figuremus unum, cuius aequalis ſit forma, qualem me uidiſſe ſextarium Honorij Imperatoris dixi, quod ſane uas capax ſit unciarum ponderalium uini uel aquae purae uiginti, & idem uas in uiginti aequales partes ductis tranſuerſis lineis ſiue intrinſecus ſiue extrinſecus diuidamus, certo certius erit, unciam ponderalem unciae menſurali eius liquoris, quo primo uas impletum fuerit, aequalem eſſe: licet, ſi liquores pondere diſſimiles uarientur, non menſura ſed pondus mutetur: quo fit, ut, etſi maxime concedamus, uncias menſurales antiquis fuiſſe, & ex uiginti ex eis ſextarium uino plenum conſtitutum fuiſſe, nõ eo minus uerũ eſſe dicendũ ſit ſextarium uiginti pariter uncias aquae aut uini ponderales continuiſſe, ſi ita ab initio fuiſſet conſtitutũ: cum utrumq. de facili uerũ eſſe poſſit, & uiri

antiqui

antiqui etiam plebiſcito cautum ita fuiſſe teſtentur, nempe Galenus de menſuralibus, Dioſcoridesq. ceteriq. de pōderalibus. Verum igitur erit ex Galeni ſententia, ſextarium fuiſſe unciarum menſuralium uiginti, quae uiginti ponderalibus in uino, aqua, & aceto reſponderent. Quod & ita factum fuiſſe ueriſimili ratione probatur, nempe ex ſumma exquiſitaq. diligentia, quam Romani in modulandis menſuris, & ponderibus adhibuerunt, in qua facile ceteros omnes ſuperauerunt mortales. quod conſtat tum ex ijs, quae primo libro de pede ex Vitruuij ſententia retulimus, quem ex digitis ſexdecim propter numerorum ſex & decem perfectiones, & ex uncijs duodecim, ut aſſi reſponderet, formatum & diuiſum eſſe uoluerunt, tum etiam quia liquidorum aridorumq. menſuras formare uolentes, non caſu, ſed ratione cubica, a pede, ut ſupra dictum eſt, quadrantal formauerunt, quod in duas urnas, ubi primus ex arithmeticis traditionibus reperitur numerus, ex rurſus in modios tres, quia in numero ternario prima reperitur imparitas, diuiſum eſſe uoluernnt. Cumq. & ipſum quadrantal ter ſexdecim digitos principaliter habeat, ſcilicet in longitudinem, latitudinem, & profunditatem: idem quadrantal in totidem modios, quot illae ſunt lineae, & ſic in modios tres diuiſerunt, quorum ſinguli ſextarios ſexdecim caperent, prout lineae ipſae digitos ſexdecim continent. Rurſus idem quadrantal in congios octo partiti ſunt, ut cubus etiam numeralis menſurarum, cubo menſurali amphorae reſpōderet. bis enim duo conſtituunt quattuor, & bis quattuor octo, qui numerus eſt apud arithmeticos cubus primus. Ipſumq. congium in ſextarios ſex, in quo numero tres ſunt primae paritates, & reliquae eximiae qualitates, propter quas is numerus a mathematicis, ut dictum eſt, perfectus appellatur. Poſtremoq. ſextarium in cyathos duodecim diuiſerunt, ut aſſem & in his menſuris repraeſentarent & uncias. Veriſimile eſt igitur, (ut ad rem redeam) ut antiquos, poſtquam repererunt uini ſextarium, cuius frequentior erat uſus, unciarum fuiſſe ponderalium uiginti, ſi diuiſionem alteram unciarum menſuralium fecerunt, (ut feciſſe teſtatur Galenus) eam talem fuiſſe, quae ponderali reſponderet, ut una eademq. in aqua, uino, & aceto puris, uncia ponderalis, & menſuralis eſſet, quae & ſibi inuicem in iſtis reſponderent. Nam ſi ſextarius ex uncijs ponderalibus duodeuiginti in his frequentioribus liquoribus exſtitiſſet, ut iuniores aſ-

ſerunt, paruo negotio menſurales quoque in eum numerum diuidere potuiſſent. quid enim intereſſe potuit, an ſextarius duodeuiginti, an uiginti menſuralium unciarum fuiſſet? Credendum eſt igitur, ut dixi, ſi in reliquis diſcrimen & diſſonãtiam uitarunt, in hoc quoque non ſolum diſſonantiam, ſed ſcrupuloſam ſiliquarum & granorum diuiſionem uitaſſe, ut omnia inuicem reſponderent. & hoc quidem arguendi genere uſus eſt Frontinus de aquaeductibus, ſic dicens: Omnia autem, quae menſura continentur, certa & immobilia congruere ſibi debent. ita enim uniuerſitatis ratio conſtabit. & quemadmodum, uerbi gratia, ſextarij ratio ad cyathos, modij uero ad ſextarios, & cyathos reſpondent: ita & quinariorum multiplicatio in amplioribus modulis ſeruare ſequentiae ſuae regulam debet. Sed &, ut propius ad argumenta diluenda accedamus, dico Galenum ſupra primo loco relatum: etſi dixerit, Romanum ſextarium in uncias menſurales uiginti tranſuerſis lineis notatis fuiſſe diuiſum, non tamen aperit, an is, de quo loquitur, uini uel olei ſextarius eſſet. quinimmo de olei ſextario Heram ſenſiſſe, ipſius ſequentia dicta demonſtrant. & tamen conſtat menſuras olearias, diuerſas a uini ceterorumq. liquorum menſuris fuiſſe: licet hoc iuniores negent. quod tamen facile probatur, uel auctoritate Catonis, qui de olei menſuris ut ſeparatis ab aliis tradidit c. 12. ubi de olei inſtrumento tractans, amphoras olearias duas parandas praecipit: & c. 15. in inſtrumento cellae oleariae, amphoras olearias duas, urceũ aquarium unũ, urnam quinquagenariam unam, ſextarium olearium unum, requirit. Et rurſum c. 142. tradens, ubi quaeque optima utenſilia uenderentur, ita inquit: Hamae, urnae oleariae, urcei aquarij, urnae uinariae alia uaſa ahenea Capuae. Ex quibus quidem traditionibus manifeſte colligo, apud antiquos amphoras olearias, urnas olearias, ſextarios olearios, ab alijs amphoris, urnis, & ſextarijs diſtinctas, & ſeparatas fuiſſe. alioqui qualitas illa olearia illis adiecta non fuiſſet, ſi unae eaedemq. fuiſſent. Ac ne quis dicat, eas patris familias deſtinatione ita fuiſſe appellatas, & diſtinctas: Cato, qui eas nouas ita commercari tradidit, dubium ſubſtulit. etenim, ſi eae menſurae inter ſe non differrent, Cato, qui breuitati admodum ſtuduit, eas diuerſo nomine, uno eodemq. uerborum contextu non appellaſſet, nec diuerſas illis qualitates adieciſſet. Si igitur amphora, urna, & ſextarius olearij, ergo & congius,

de

de quo Liuius, ubi ſupra. Poſtremo, etſi daremus olei ſextarium a uini ſextario non diſcrepaſſe: cuius contrarium ex praedictis apparet: adhuc dicendum eſt, ex librae olei menſuralis examine, à Galeno facto, nihil ad ſextarium ſeu ſextarij pondus attinens inferri poſſe: cum maxime ex infradicẽdis conſtet, aliter oleum aliterq. uinum in commerciis antiquis fuiſſe tractatum: ſiquidem uinum ſemper menſuram, oleum uero (niſi in ſupra citato Liuij loco de congio, & Catonis de ſextario, menſtruo familiae dando) numquam mẽſuram apud Romanos in commercijs fuiſſe memini me legiſſe: cum contra pondere, ſeu libra, oleum donatum, uenditum, ſtipulatum, & legatum frequentiſſime legerim. Eſto igitur, quod libra olei menſuralis pependerit, ut Galenus teſtatur, uncias ponderales decem: non ex hoc infertur, illas duodecim uncias menſurales librae, duodecim uncijs ſextarij uini menſuralibus aequales fuiſſe: quod eſt probandum. Quod autem oleum antiquis non menſura ſcilicet amphorae, congij, aut ſextarij, ſed pondere, ſeu etiam libra ſua menſurali in commercijs tractaretur, probant hi: Cato de re ruſt. c. 153. in lege oleae pendentis, Olea pendens in fundo Venafrano uenibit, qui oleum emerit, amplius quam quanti emerit, omnis pecuniae centeſima accedet, praeconium praeſens HS. L. & oleum romanici pondo ∞ D. uiridis pondo C C. oleae caducae modios L. ſtrictiuę M̊ X. idem c. 151. in lege oleae legendae acceſſiones in M̊ ∞ C C. accedit, oleae ſalſae M̊. V. olei puri pondo I X. ideſt oleae ſalſaę modios quinq. olei puri pondo nouem. hacq. de cauſa idem Cato c. 15. in cella olearia, trutinam unam, centum pondium incertum unum, & pondera certa requiſiuit, de quo incerto centum pondio infra lib. 5. Plinius lib. 18. c. 3. annonae ſummam uilitatem recenſens: M. Varro auctor eſt, cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, aſſibus ſingulis, farris modios fuiſſe, item uini congios ficiq. ſiccae pondo triginta, olei pondo decem, carnis põdo duodecim. Suetonius in Dictatore c. 38. Populo, praeter frumẽti denos modios, totidemq. olei libras, uicenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, uiritim diuiſit. Pomponius Iuriſconſ. l. ſi ex toto de legatis primo, Si olei pondo quinquaginta aut in ſingulas libras certum aes, legatum ſit. Vlpianus. l. certum de tritico legato. Cum certum pondus olei, non adiecta certa qualitate legatur. Idem l. Si quis a me de actionibus empti, ſi quis oleum, quod quis

emiſſet, adhibitis iniquis ponderibus accepiſſet, ut in modo fal-
leret, uel emptor circumſcriptus ſit a uenditore, ponderibus mi-
noribus. Horatius ſecundo ſermonum, Sat. 11.

Ac niſi mutatum parcit diffundere uinum, &
Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, nataleis alioſue dierum
Feſtos albatus celebret, cornu ipſe bilibri
Caulibus inſtillet, ueteris non parcus aceti.

Quod & ex ſupra relatis Galeni locis manifeſto cōſtat, qui de olei librali menſura teſtatur. ex quibus, ut arbitror, probatum ſatis eſt, aliter in oleo, quam in uino, ceterisq. liquoribus antiquis commercium fuiſſe, ſeparatasq. illis olei mēſuras ab aliis fuiſſe, oleiq. commercium non amphorae, urnae, congij, aut ſextarij menſura, ſed pondere, ſeu ſua libra menſurali illis exſtitiſſe. Nec me mouet, quod Plinius aliquando in ſuis compoſitionibus, & medelis ſextario olei uſus fuerit: quoniam id, Graeca transferendo ſcripta, egit: quorum menſuras & nomina ſe ſeruare uelle, dilucide profeſſus eſt lib. 21. cap. ult. Quin etiam, ſi mihi ſententiam ex mea coniectura afferre licet, credendum aſſero, Romanos, poſtquam uiderunt ſextarium aquae & uini uncias pendere uiginti, ut illi in pondere oleum, quod natura nona parte leuius eſt, reſponderet, libram olei menſuralem fabricaſſe, quae decem ponderalibus unciis, & ſic heminae aquae & uini, & bilibrem, quae ſextario reſponderet, ſiquidem ex ſupra relatis Galeni uerbis conſtat olei libram menſuralem decem, & bilibrem uiginti ponderalibus uncijs pares fuiſſe. quod quidem eo mihi perſuadetur, (ne omnino ſine ratione ad ita coniectandum uidear adduci) quia hodie Romae uideo, quod, licet olei uinique menſurae uno eodemq. nomine appellantur, nempe congius, congitella, petittus, medius, & folietta; eiuſdemq. formae & materiei ſint, aeris ſcilicet congij, & congitellae, aliae uero ex opere figulino: attamen capacitate differunt: quia olei menſura, uini menſura maior eſt, & tamen in pondere, modico diſcrimine excepto, quod uix ſit unciae unius, & ſemis, in centum conueniunt, ut ſequenti libro demonſtrabo: quod tamen diſcrimen publicanorum, qui eas cuſtodiunt menſuras, culpae ſeu negligentiae facile adſcribi poſſet. quo fit, ut id ipſum antiquis fuiſſe coniectem, & haec antiqui diſcriminis in menſura, & conuenientiae in pondere ueſtigia remanſiſſe. quod forſan

ſan plebiſciti ſupra relati uerba, Sextarius aequus aequo cum librario fiet, inferebant; & in eum ſenſum reſtitui poſſent, ut legeretur, Sextarius aequus aeque cum bilibra olei fiet. Ex his igitur (ut ad rem redeam) facile dignoſci licet, examen librae menſuralis olei a Galeno, uiro doctiſſimo, pondere factam, nihil ijs, quae a uiris non minus doctis de pondere aquae & uini ſextarij, tradita ſunt, obeſſe, aut immutari poſſe: praeſertim cum olei commercium a uini etiam commercio in modo fuerit ſeparatum: & olei etiam eiuſdē nominis menſuras a uini eiuſdem nominis menſuris ſeparatas fuiſſe conſtet: & ex ſeparatis inferre omnium conſenſu non liceat. etſi non negem iuniorum traditiones ad huius rei ueritatem indagandam mihi mirum in modum profuiſſe. Neque huic a me relatae, & comprobatae antiquorum opinioni refragatur, quod Fannius pondus olei, mellis, & uini unius & eiuſdem ſextarij, ſimul ponere & examinare uideatur: quoniam eo in loco Fannius non menſuras cōiungere, ſed liquidorum diſcrimina tradere uoluit: quod ex illius uerbis clare dignoſcitur, dum inquit:

Illud praeterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus uarios ſeruare liquores.

Ideoq. cum ſupra & paullo ante ſextarium uini puri & aquae purae uncias uiginti appendere ſtatuiſſet, adiecit, quod, ſi ea menſura oleo impleretur, quia oleum uino nona parte leuius eſt, pondus illius menſurae erit unciarum duodeuiginti: ſi mellis, quia mel eſt aqua grauius portione ſeſquialtera, erit unciarum pondo triginta. ſicq. non repugnat. Sicuti nec repugnat, quod iuniores dicunt, Oribaſium pro hac parte adductum, uncias illas uiginti, per uerbum Capit expreſſiſſe: quod uerbum menſurae, & non ponderi ſeruire uidetur: quia praeter id, quod uerbum, Capit, ab Oribaſio ſcriptum, nō ſextarium, ſed amphoram reſpicit. ait enim: Amphora Italica capit ſextarios octo & quadraginta, ſextarius libram unam uncias octo: ſicq. uerbum, Capit, ad proximam amphoram retulit: praeterea dicendum eſt, quod nec Galenus loco ſuperiori relatus, ut a iunioribus uerſus eſt, nec Oribaſius de uocum proprietate his in locis certarunt. nam & Galenus ſupra relatus uerbo, Capere, in pondere uſus eſt, dum dicit, ſi uncia una octo drachmas ceperit. quin etiam Plinius aperte de pondere loquens lib. 33. c. 3. uerbo Capere utitur, his uerbis: Talentum autē Aegyptium

ptium pondo octoginta capere Varro tradidit. Poſtremo ſi iunioribus unius tantum Galeni teſtimonio, & ex praedictis euitabili, innixis, dicere licuit, ſe magis Galeno aſſentiri: cur & mihi, qui quinque antiquorum doctorum hominum teſtimonio, Dioſcoridis, Fannij, Sex. Pompeij, Oribaſij, ignotiq. Graeci, antiqui ponderis, congij, & quadrantalis ex antiquo pede formati examine, & collatione, ſuffultus ſum, idem dicere non licebit? audacter igitur concludo cum Dioſcoride, & ſextarium uino puro, nõ craſſo, neque nigro, aceto ſimiliter puro, uel aqua pura plenum, unciarum ponderalium uiginti exſtitiſſe. etſi nõ negem, libram olei menſuralem, quam uere apud antiquos in oleo fuiſſe confiteor, uncias decem ponderales appendiſſe, ut Galenus apertiſſime dicit. cui quidem in hoc non ſolum non contradico, ſed ingenue aſſentior.

Hemina, in qua ſexta eſt Amphorae diuiſio, pars eſt ſextarij dimidia, ut Fannius teſtatur.

> At cotylas, quas, ſi placeat, dixiſſe licebit,
> Heminas capit geminas ſextarius unus.

Quod & Gellius noctium Atticarum lib. 3. cap. 14. teſtatur, qui de differentia inter dimidium & dimidiatum tractans, ita inquit. Contra quoq. ſi ex ſextario hemina fuſa eſt, non dimidiatum ſextarium fuſum dicendum eſt. Haec autem capit cyathos ſex, ut idẽ Fannius teſtatur, de ea ſic dicens:

> At cotyle cyathos bis ternos una receptat.

Quo fit, ut amphora capiat heminas, de quibus loquimur, ſex & nonaginta. Quam quidem heminam liquidorum aridorumq. (ut & ſextarium) menſuram fuiſſe, colligi licet ex Columella lib. 12. cap. 49. qui de Oliuarum ſalſura loquens dixit: Sat erit tot heminas ſalis adijcere, quot ſunt modij oliuarum. Et cap. 41. de muſto lixiuo: Priuſquam de igne medicamentum tollatur, tres heminae roris Syriaci contriti, & cribrati, ſuper omnia adijciuntur. Plinius lib. 14. cap. 17. Oximeli hoc uocarunt, mellis decem libris, aceti ueteris heminis quinque, ſalis marini libra, aquae pluuiae ſextarijs quinque. Quibus & multae aliae ueterum auctoritates adijci poſſent, quas conſulto omitto. Pendet autem hemina, uino, aceto, aut aqua plena, ſecundum ſupputationem praedictam, uncias decem.

Quartarius, de quo inter iuniores ſoli poſtremi meminerunt, in quo

ſeptima eſt amphorae diuiſio, eſt, ut & nomen ſonat, ſextarij pars quarta, teſte Voluſio Metiano, qui Iuriſcõſ. fuit, & praeceptor Antonini philoſophi, ut Ber. Rutilius in uitis Iuriſcõſultorum ex Politiani etiam ſententia teſtatur. is igitur Voluſius haec. Quadrantal, quod nunc pleriq. amphoram uocant, habet urnas duas, modios tres, ſemodios ſex, congios octo, ſextarios octo, & quadraginta, heminas ſex & nonaginta, quartarios centum nonaginta duos, cyathos quingentos ſeptuaginta ſex. Et de quartario meminit etiam Columella lib. 12. cap. 5. in uappidi uini, ut acreſiat. Sextarios duodequinquaginta, fermenti libram, fici aridae pondo quadrantem, ſalis ſextarium ſubterito, & ſubtrita cum quartario mellis aceto diluito. Liuius lib. 5. Manlius primum ob uirtutem laudatus, donatusq. non a tribunis ſolum militum, ſed conſenſu etiam militari, cui uniuerſi ſelibras farris, & quartarios uini ad aedes eius, quae in arce erant, contulerunt, rem dictu paruam, ceterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis; cum ſe quiſque uictu ſuo defraudans, detractum corpori atque uſibus neceſſarijs, ad honorem unius uiri conferret. Haec ille. Nec uero de alia menſura, quam de ſextarij quarta parte, intelligi poteſt, ſi ad farris ſelibram, & ad obſidionem, qua tunc Romani premebantur, ſpectemus. De eodem quartario meminit Plinius lib. 18. cap. 3. his uerbis. Dona ampliſſima Imperatorum ac fortium ciuium, quantum quis uno die plurimum circumarauiſſet, itẽ quartarij farris, aut heminae conferente populo. quo in loco animaduertendum eſt, Plinium farris quartarium dixiſſe, & Liuium uini, de utroq. forſan facto ſentientes. Ceterum quod Cato cap. 102. de conuoluulo loquens, quartarij & tertiarij meminit, ſic dicens: Poſtea ſumito bituminis tertiarium, & ſulphuris quartarium: id Plinius non menſurae, ſed portionis eſſe intellexit, lib. 17. cap. 28. de eodem conuoluulo & Catonis remedio loquẽs, quam tertiam, & quartam, alibi intellexi reſpectu amurcae, iam ad mellis craſſitudinem decoctae: quia Cato id ſpectauit, ut intritum tam craſſum, quam uiſcum fieret, ut ex eo uitis circum caput & ſub brachijs liniri poſſit. nimis enim craſſum fieret, & durum, ſi portio haec ad crudae amurcae quantitatem reſponderet. Haec autem quartarij menſura, ſeruata ratione praedicta, pondus unciarum quinque aquae, uel uini continebit.

Acetabulum poſt quartarium ſequitur, in quo eſt octaua amphorae diuiſio,

diuiſio, ipſumq. octaua ſextarij pars eſt, capiens ſeſquicyathum, pendetq. aqua uel uino plenum, iuxta ſupputationem praedictã uncias duas ſemis. Dictum eſt autem acetabulum, ex Hermolai ſententia, ab accipiendo, ſeu, ut uerius puto, & iuniores tradiderunt, ab aceto. nam & Graeci ſuum oxybaphum (cui acetabulum eſt ſimile, & loco, & portione) ab aceto dixerunt, eo quod eius quantitatis eſſe ſoleant uaſcula, quibus acetum & acria in menſa poni ſolent, ad ciborum faſtidia uitanda, & appetentiam excitandam. Quod autem conſtet ex ſeſquicyatho, probat Fannius ſic dicens.

At cotyle cyathos bis ternos una receptat.
Sed de abaco nobis id pondus ſaepe notatur.
Bis quinque hunc faciunt drachmae: ſi appendere tentes,
Oxybaphus fiet, ſi quinque addantur ad illas.

Plinius lib. 21. cap. ult. Cum acetabuli menſura dicitur, ſignificat heminae quartam partem, ideſt drachmas quindecim. Quae loca, ne in pondere erret lector, intelliges non de Romano cyatho, uel acetabulo, ſed de Graeco, ut & Plini atteſtatio loco ſupra relato demonſtrat. ait enim: Et quoniam in menſuris quoq. & ponderibus crebro Graecis nominibus utendum eſt, interpretationem eorum ſemel hoc loco ponemus. Drachma Attica (fere enim Attica obſeruatione medici utuntur) denarij argentei habet pondus, eademq. ſex obolos pondere efficit, obolus 9. chalcos. cyathus pendet per ſe drachmas decem. Cum Acetabuli menſura dicitur, ſignificat heminae quartam partem, ideſt drachmas quindecim. Mna, quam Romani minam uocant, pendet drachmas Atticas centum. Haec ille. Quod & non minus ex Galeni relatis locis, ijs, quae infra de Graecis menſuris dicturi ſumus, colligi licet. Cum enim Graeca cotyle, minor Romana hemina eſſet, ut Galenus teſtatur, & utraque ex ſex cyathis conſtet, neceſſe eſt ut ea portione, qua Graeca cotyle Romana hemina minor eſt, cyathus quoque, & oxybaphus Graeci, Romano cyatho, & acetabulo minores ſint. ſit igitur probatum ex Fannio, & Plinio acetabulum heminae quartam partem eſſe, pōdus autem illius, ſi ex Dioſcoride ſupra relato petatur, eſſe unciarum duarum & ſemis. is enim utrumque probat, ſic dicens: Acetabulum, quarta pars heminae, habet uncias duas ſemis. Hac autem acetabuli menſura, & uoce, medici medicinaeq. ſcriptores frequentius uſi ſunt, quam

ceteri.

ceteri. Plinius lib. 24. c. ult. de feno Graeco loquens, Diocles ait, difficile parientibus, ſemen eius dedit acetabuli, menſura tritum, in nouem cyathis ſapae, ut cum tertias partes biberint, calida lauentur. Et paullo poſt. Danion feni Graeci ſemen, acetabuli dimidia menſura, cum ſapae & aquae nouē cyathis ad menſes ciendos dedit potu. Et haec de Graecis acetabulis propter Plinij proteſtationem intelligo. contra uero quod idem Plinius dixit lib. 18. c. 7. de polentae confectione: Quocumq. autem genere praeparato, uicenis ordei libris, ternas ſeminis lini, coriandri ſelibras, ſalisq. acetabulo torrentes, ante omnia miſcent in mola: de Romano acetabulo intelligo, tum quia Romanam polentam tractat, tum quia ante proteſtationem, de qua ſupra. Accetabula quoque appellauit Plinius uaſcula quaedam, quae ſunt in polyporum piſcium brachijs, quibus ſaxis aut lignis adhaerent, lib. 9. c. 29. his uerbis. Cetero per brachia, uelut Accetabulis diſperſis, eo hauſto, quodam modo, cui adhaeſerunt, tenent ſupini, ut auelli non queant. Et c. 30. Praeterea negant nullum eſſe atrocius animal ad conficiendum hominem in aqua. luctatur enim complexu, & ſorbet accetabulis. Et paullo poſt de illo immuni polypo loquēs. Accetabulis, ſeu caliculis urnalibus peluium modo. Quibus uerbis Plinius uaſtitatem illius Polypi, non ſolum ex capitis magnitudine, quod inſtar dolij amphorarum quindecim exſtitit, ſed ex iſtis caliculis, ſeu accetabulis, quae eſſent in peluium modum formata, & unius urnae capacia, demonſtrare uoluit. Accetabula autem hoc loco ab accipiendo dicta puto, ut uerba Plinij demonſtrant, & in iſtis Hermolao conſentio, ut per duplex c, ſcribi debeat, ſicut in eo acetabulo, quo pro menſura utimur, contradico, cum illud ab aceto cum iunioribus dictum putem, & per ſimplex c, ſcribi debere.

Cyathus, in quo nona eſt amphorae diuiſio (uox a Graeco ſermone ſumpta) a ſumendo uel hauriendo uinum dictus eſt. ea enim menſura apud antiquos pocula commetiebantur, relicto in ſacrificijs ſympulo teſte Varrone de ling. Lat. lib. 4. qui ſic ſcriptum reliquit. Quo uinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis, guttum appellarunt: & quo ſumebant minutatim a ſumendo ſimpulum nominauere. in huiuſce locum in conuiuijs e Graecia ſucceſſit Epichyſis & cyathus, in ſacrificijs remanſit guttum, & ſimpulum. Haec ille. A quo cyatho cyathiſſare, pocula miſcere,

Plautus

Plautus dixit in Menaechm. actu 2. ſce. 2.

Non ſcis, qui ego ſim, qui tibi ſaepiſſime
Cyathiſſo, apud nos quando potas. Quod Caeſari exprobratum fuiſſe a C. Memmio, Suetonius in dictatore c.49. teſtatur his uerbis: Sed & C. Memmius etiam ad cyathum & uinum Nicomedi ſtetiſſe obiecit. Quod tamen munus hodie apud principes nobiliſſimum Budaei teſtimonio exſiſtit. Conſtat autem cyathus ex quattuor ligulis, ſiue cochlearibus. & eſt ſextarij pars duodecima, ut dictum eſt, quem ſextarium, cyathorum aſſem, antiquos conſtituiſſe iam dixi, ideoq. ab eo ex cyathorum numero pocula appellaſſe, his nominibus, quibus aſſis partes appellantur, nempe ſextantes, quadrantes, trientes, quincunces, ſemiſſes, ſeptunces, beſſes, dodrantes, dextantes, deunces, pro calicibus ſeu poculis, quae duos, tres, quattuor, & ſic deinceps cyathos continerent. quem quidem cyathorum numerum plerumque ex numero litterarum, quae ad exprimendum nomina ſuorum deorum, dominorum, & amaſiarum concurrebant, formaſſe conſtat, diphthongorum ratione habita, ut clarius ex infradicendis apparebit, quae pro maiori parte a Leonardo a Portis, Budaeo, Alciato, ceteriſq. iunioribus, ſicut pleraeque aliae a me ſupra & infra relatae auctoritates adducta ſunt. Suetonius in Auguſto c. 77. Vini quoque natura parciſſimus erat non amplius ter bibere eum ſolitum ſuper cenam in caſtris, apud Mutinam, Cornelius Nepos tradidit; poſtea quoties largiſſime ſe inuitaret, ſenos ſextantes non exceſſit, aut, ſi exceſſiſſet, reijciebat. Haec ille. Sexies enim bibebat Auguſtus, quando ſe large inuitabat, calice qui duorum cyathorum capax eſſet, ita ut in tota cena ſextarium aſſumeret. De ſextante quoque meminit Martialis lib. 12. in Cinnam.

Poto ego ſextantes, tu potas Cinna deunces:
Et quaeris, quod non Cinna bibamus idem.

Idem lib. 5. epigr. ad miniſtros.

Sextantes Callyſte duos infunde Falerni:
Tu ſuper aeſtiuas Alcine funde niues.

Idem lib. 9. ad Calatiſſum de quadrante, qui trium cyathorũ eſſet.

Addere quid ceſſas puer immortale Falernum,
Quadrantem duplica de ſeniore cado.
Nunc mihi dic quis erit, cui te Calatiſſe deorum
Sex iubeo cyathos fundere? Caeſar erit.

Quo

Quo loco illud notandum, quod duplicem appellauit quadrantem, poculum, qui ſex cyathorum eſſet, quia tot litterae in Caeſaris nomine, quem ſuum deum appellat, reperiuntur. Idem eodem libro ad Lupercum, de triente, qui quattuor eſt cyathorum.

Septem poſt calices Opimiani,
Denſo cum iaceam triente blaeſus,
Affers neſcio quas mihi tabellas.

Septies enim tunc Martialis biberat calice trientali, ideſt cyathorum quattuor, ita ut ſextarios duos & trientem Opimiani uini aſſumpſiſſet. quod uinum iam tunc ducenteſimum fere annum attigerat, ut Plinius lib. 14. c. 4. teſtatur: cuius uerba (etſi extra propoſitam materiam) adſcribere libuit. L. Opimio conſule, cum C. Gracchus tribunus plebem ſeditionibus agitans, interemptus eſt, ea caeli temperies fulſit, quam coctura uocant, ſolis opere natali urbis DCXXXIV. durantque adhuc uina ducentis fere annis, iam in ſpeciem redacta mellis aſperi. Haec ille. Conſtat autem Martialem Plinij contemporaneum fuiſſe. Idem lib. *6.* in bibentes aquam.

Setinum, dominaeq. niues, denſiq. trientes,
Quando ego uos, medico non prohibente, bibam?

Propertius lib. 3. de natali amicae.

Cum fuerit multa exacta trientibus hora.

Idem Martialis lib. 2. ad librum de quincunce ſic.

Te conuiua leget miſto quincunce, ſed ante
Incipiat poſitus, quam tepuiſſe calix.

Idem lib. 11. de Caio & Proculo.

Quincunces, & ſex cyathos, beſſemq. bibamus,
Caius ut fiat, Iulius, & Proculus.

Caius enim pro quincunce, quia nomen quinque litteris conſtat, Iulius pro ſex, & Proculus pro beſſe, qui cyathorũ eſt octo. Idem libro primo ad ſomnum.

Naeuia ſex cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica Falerno:
Et quia nulla uenit, tu mihi ſomne ueni.

Et lib. 3. in Zoilum de ſeptunce, ideſt calice ſeptem cyathorum.

Septunce multo deinde perditus ſtertit.

Plautus in Sticho actu 5. ſce. 5.

Quibus

Quibus diuitiae domi ſunt, ſcaphio, cantharis, batiocis
Bibunt: nos noſtro Samiolo poterio tamen uiuimus.

Et paullo poſt.

Vide, quot cyathos nos bibimus. Sa. Tot, quot digiti ſunt tibi
In manu. cantio eſt Graeca: quinque bibe, tres bibe, dimidium quattuor.
Tibi propino decuma fonte, tibi tute inde ſi ſapis.

Quo in loco decumam fontem Plautus appellauit decem cyathorum poculum. Sed & medici in ſuis potionibus & pharmacis, poculis cyathorum menſura modulatis uſi ſunt. Plinius lib. 23. c. 7. Silueſtrium quidem prunorum baccae, uel e radice cortex, in uino auſtero ſi decoquatur, ita ut triens ex hemina ſuperſit, aluum & tormina ſiſtunt. ſatis eſt ſingulos cyathos decocti ſumi. Celſus lib. 1. c. 8. Ante quam conquieſcant, duos treſue cyathos per tenuem fiſtulam bibant. Et lib. 3. c. 9. Non alienum eſt, in ipſa febre dare mulſi tres aut quattuor cyathos. Et cap. 19. de curatione cardiaci morbi. Si ne id quidem manſerit, ſorbere uini cyathum. Plinius lib. 21. c. 19. de uiola lutea. Dimidio cyatho in aquae tribus, menſes trahit. Cato c. 120. De eo uino cyathum ſumito, & miſceto aqua, & bibito ante cenam. ſine periculo purgabit. Et c. 129. Ieiunus cyathum ſumito. Sed & minus olei & ſalis menſura cyathus fuit. Columella lib. 12. c. 16. de uuis paſſis loquens. Deinde in lixiuie ſextarios decem, ſalis tres cyathos, & olei cyathum adijciunt. Plinius lib. 14. c. 9. Diſtat a mulſo, quod fit e muſto, cum quinque congijs auſteri muſti, congio mellis, & ſalis cyatho ſubſeruefactis, hauſtum. Pēdet autem hic cyathus aqua uel uino plenus, iuxta ea, quae ſupra tradita ſunt, unciam unam, drachmas quinque, ſcripulum unum. nam quod Fannius, & Plinius dixerunt, eum eſſe drachmarum decem: ſupra declaraui, eos de Graeco cyatho intellexiſſe.

Cochlear, ſiue ligula, decima & poſtrema eſt amphorae diuiſio, & eſt cyathi pars quarta, ut colligi licet ex Columella lib. 12. c. 21. Praeterea ſenum graecum maceratur in uino uetere per triduum, deinde eximitur, & in furno ſiccatur, uel in Sole: idq. cum eſt aridum factum, molitur: & ex eo molito poſt ſalitură, multi cochlear cumulatum, uel ſimile genus poculi eius, qui eſt quarta pars cyathi, adijcitur in binas urnas. Qui & paullo ante de ligula ſic dixerat: Et ita coadijcitur in binas urnas ligula cumulata, ſeu menſura

ſura

ſura ſemunciae bene plenae ſalis cocti & triti. Neque huic ſententiae refragatur, quod Fannius dicit:

At myſtrum cyathi quarta eſt, ac tertia myſtri,
Quam uocant cyanem. capit haec cochlearia bina.

Ex qua ſupputatione uidetur dicendum,cochlear eſſe cyathi partem quartam & uigeſimã: qm̃ Fannius non ibi de Latinis, ſed de Graecis cochlearibus intellexit, ut ex infra traditis Graecis menſuris colligi licet.Miſcuit enim uir ille,alioqui egregius,& doctus, Graecas menſuras cum Romanis: ut non facile qñque,niſi a caute legẽtibus,dignoſci poſſint. Hanc autem quartã cyathi partem appellauit Dioſcorides Graeca uoce Chemen, quam pro poſtrema amphorae parte,& cyathi quarta collocauit: Ligulam autem cauã fuiſſe,ad modum linguae ad palatũ retractae, iuniores putauerũt: quod colligunt ex Columella lib.10.cap.15.ubi de melle cõficiendo tractãs ſic inquit. Deinde ubi liquatum mel in ſubiectam aluũ defluxit,transfertur in uaſa fictilia,quae paucis diebus aperta ſint, dum muſteus fructus deferueſcat. is ſaepius ligula purgandus eſt. Plinius lib.21. c.14.de cera loquẽs: Punica fit hoc modo. uentilatur ſub dio ſaepius cera fulua, deinde feruet in aqua marina ex alto petita,addito nitro. inde ligulis eligunt florẽ,ideſt candidiſſima quaeque, transfunduntq. in uas, quod exiguum habeat marinae frigidae. Haec ille. Nõ enim purgatio, aut transfuſio rei liquidae ligula fieri poſſet,niſi,ut iuniores aduertunt,ligula cõcaua fuiſſet, quae a multis & Lingua eſt appellata, & diminutiue Ligula. eos namq.qui lingulã appellabãt, irridet Martialis lib.14. ijs uerſibus.

Quamuis me ligulam dicant equitesq. patresq.
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

Qui & ſtatim de cochleare ita ſubiunxit.

Sum cochleis habilis, ſum nec minus utilis ouis.
Numquid ſcis potius cur cochleare uocer?

Vnde facile intelligi licet, haec inſtrumenta ut ſimilia a Martiali fuiſſe coniuncta. Pendet autem cochlear, aqua uel uino plenum, drachmas tres, ſcripulum unum.

Culleus, qui ſupra amphorã, ſeu quadrantal eſt,conſtat ex amphoris uiginti, ut colligi licet ex Columella lib.3. cap 4. qui de cultura & fructu uineae ſeptẽ iugerum loquens, ita ſcriptũ reliquit. Quippe, ut deterrimi generis ſint uineae,tamẽ, ſi cultae, ſingulos utiq. culleos uini ſingula iugera peraequabunt; utq. trecentis nũmis qua-

dragenae urnae ueneant, (quod minimum pretium eſt annonae) conſumant tamen ſeptem cullei ſeſtertia duo millia & centũ nummos. Quae Columellae ſupputatio, quadragenas urnas, id eſt amphoras uiginti, ut ſupra dictum eſt, culleo reſpondere demonſtrat. quod & aperte teſtatur Plinius lib. 14. c. 4. de uinea Rhemnij Palaemonis, (quem ſupra eum Fannium fuiſſe dixi, cuius ſunt carmina toties citata) ſic dicens: Quando & poſtea ſaepe numero ſeptenos culleos ſingula iugera, hoc eſt amphoras centenas quadragenas muſti dedere. Idem quoque teſtatur Fannius.

Eſt & bis decies, quem conficit amphora noſtris
Culleus: hac nulla eſt maior menſura liquoris.

Et ab his nemo, quod uiderim, diſcrepat. Nec huic ſententiae refragatur, quod Cato c. 115. ſingulis culleis quadragenas ſingulas urnas attribuerit: quoniam, ut & ſupra dixi, ex omnium recta ſententia, urnã culleo acceſſionis loco & pro detrimento adiecit Cato. Culleos autẽ fuiſſe ex corio, uel ex eo apparet, quod lex praecipiebat parricidam culleo inſui, & in mare proijci, ut refert Modeſtinus Iuriſc. l. poena ad legem Pompeiam de parricidijs. Poena parricidij more maiorum haec inſtituta eſt, ut parricida uirgis ſanguineis uerberetur, deinde in culleo inſuatur, cum cane, & gallo gallinaceo, & uipera, & ſimia, deinde in mare profundum culleus iactetur. Quod ideo fieri teſtatur Conſtantini Imperatoris conſtitutio in Codice, de ijs, qui parentes aut liberos occiderunt, ut inter eas ferales anguſtias comprehenſus ſerpentium contubernijs miſceatur, & omni alimentorum uſu uiuus carere incipiat, & caelũ ſuperſtiti, terra mortuo auferatur. Nec aliter inſui, aut in mare, ita ut non ſubmergeretur, ſtare potuiſſet, ſi ex alia quam ex corij materia culleus fuiſſet. Forma autem cullei utri formae ſimilis fuit, licet ſpecie maior, ut Romae ſculptum uidere licet in marmoreo fragmento, in aedibus nobilis Franciſci Porcij, cuius, & non nullorum fragmẽtorum, quibus plurimum delectatus ſum, exemplar in calce huius operis apponendum curaui: ex qua ſculptura puto intelligi debere locum Plinij lib. 7. c. 20. dum inquit: A. Iulius Valens meruit in praetorio diui Auguſti, centurio, uehicula culleis onuſta, donec exinanirentur, ſuſtinere ſolitus. Non enim plures, ut aliqui exiſtimauerunt, ſed ſinguli cullei, ſingulis uehiculis, ſingulo boum iugo trahebãtur. quod & ex Catone colligi licet c. 12. qui in inſtrumento oleti iugerum CCXL. cui ſex tribuit boues,

haec

haec requirit. Ploſtrá maiora tria, aratra cum uomeribus ſex, iuga cum loris ornata tria, ornamenta bobus ſex. Tria enim iuga, totidemq. ploſtra ſex bobus tribuit. Et c. 13. ubi in inſtrumẽto uineae boues duos, aſinos ploſtrarios duos, ploſtra duo, aratra duo, iugum ploſtrarium unum, iugum uinarium unum, iugum aſinarium unum eſſe uoluit. Duobus enim bubus iugum unum, & ploſtrum unum tribuit. Ex cuius uerbis, etſi extra rem propoſitam, illud ſcire licet, aſinos quoq. ploſtrarios, & aratorios, & quadrigarios apud antiquos fuiſſe. quod ex Varrone de re ruſt. lib. 2. c. 1. & 8. qui illorum mira pretia refert, colligi licet. quod tamen Columella lib. 7. c. 1. ita intellexit, ut uehicula non nimium eſſent onerata, & humus proſcindenda facilis. Singulis igitur ploſtris, ſeu uehiculis, ſingulos culleos uehi ſolitos, & ſculptura, & rei qualitas demonſtrant. nam duo boues non ultra culleum unum, ſi is iuſtae menſurae ſit, cum mille & ſexcentas libras appendat, in ploſtro duarum rotarum ducere poſſent: ut reipſa hodie quoq. uidere licet. Mirum quippe eſt, quantum antiquitatum reliquiae, praeſertim quae Romae ſunt, ad ſcriptorum intelligentiam conſerant. quod etiam oſtendit Gulielmus Philan. uir ſanè doctus, & rerum antiquarum peritus, in Vitruuium lib. *6.* c. 5. ubi, quonam modo antiqui accumberent, ex antiquis ſculpturis ſumptum, palam fecit. ſubiecta namq. ſculpta marmora, mihi belliſſime aperuerunt differentias inter rotas curruum, & tympana plauſtrorum, de quibus Virgilius Georg. 2. de laudibus ſilueſtrium arborum, ita inquit.

Dant alios aliae fetus, dant utile lignum
Nauigijs pinos, domibus cedroſq. cupreſſoſq.
Hinc radios triuere rotis, hinc tympana plauſtris
Agricolae, & pandas ratibus poſuere carinas.

Pro tympanis enim intelligo rotas plauſtrales ſine radijs, quae ex aſſeribus inuicem tranſuerſis & affixis, componebantur, ſpeciem tympani habentes, etſi ibi Seruius aliter intellexerit. Radij autem in rotis ſunt illi, qui inſtar radiorum Solis, diſpartiuntur, arcuatam materiam, quae terram terit, (canthum appellant) ſuſtinentes, ut in triumphalibus curribus, carpentis, rhedis, bigis, trigis, & quadrigis etiã in numiſmatibus & aliis ciuilibus operibus inſpiciuntur. Rurſus ex eiſdẽ marmoribus mihi ſe oſtendit forma amphorae, uel feriae, cum quibus uinum poculis fundebant, necnon ruſtici potorij, & ſinus lactis, & agricolarum ueſtium, & quo tegmi-

nis genere ruſtici caput operirent: licet hoc ſciam tempore uariatum, non tamen adeo, quin adhuc in illorum ſpeciem in ruſticis ſagis capitia illa, colorum modo acuta, pendere uideamus. ex quibus etiam ſculpturis, (ut mihi paullo amplius, bona uenia, uagari liceat) ſubtilis illa differentia inter plauſtrum & uehiculum diſcernitur, de qua Varro de ling. Lat. lib. 4. ita diſſerit. Vehiculum, in quo faba aliudue quid uehitur, quo ex uiminibus uterentur, & quod eo uehitur breuis ueha, uehiculum eſt dictum, ab alijs etiã dictum arcera, quae etiam in duodecim tabulis appellatur, quod ex tabulis uehiculum erat factum ut arca, arcera dictum. Plauſtrũ ab eo, quod, non ut in ijs, quae ſupra dixi, ſed ex omni parte palam ſunt, quae in eo uehuntur, quod perlucent lapides aſſeres tignum. Hactenus ille. Quae tamen nomina uſu confuſa fuiſſe, uel ex Plinio colligi licet, qui uehiculum appellat culleo onuſtum, quod plauſtrum quia palam culleum faceret, ex Varronis relata ſententia appellari debuit. Sed ut ad culleos, unde nos marmora diuiſerunt, redeamus, de his inter inſtrumenta ad uinum transferendum meminit Vlpianus Iuriſc. l. quaeſitum, de fundo inſtruc. ſic dicens: Sed & ea, quae exportandorum fructuum cauſa parantur, inſtrumenti eſſe conſtat, ueluti uehicula, & naues, & cuppae, & cullei. Et Scaeuola l. ult. in fi. de pignoratitia actione. Titus pecuniam mutuam a C. Seio ſub pignore culleorum accepit. Iſtos culleos cum Seius in horreo haberet, miſſus ex officio annonae centurio, culleos ad annonam ſuſtulit: & poſtea inſtantia C. Seij creditoris recuperati ſunt, quaero intertrituram, quae ex operis facta eſt, utrum Titius debitor, an Seius creditor agnoſcere debebat. Iabolenus uero l. legatum, de annuis legatis, culleũ pro menſura poſuit, dum dixit: Vini Falerni, quod domi naſceretur quotannis, in annos ſingulos binos culleos heres meus Titio dato. quod & Vlpianus fecit l. ſi cui, de tritico legato. Vino legato utres non debebuntur, nec culleos deberi dico. Haec ille. Vtribus enim ad transferenda uina, non minus quam culleis, uſi ſunt antiqui, ut & hodie Neapolitani ad muſta praeſertim transferenda, & Hiſpani quoque, ut audio, non ſolum ad transferenda, ſed ad in illis diffuſum uinum conſeruandum utuntur. Quibus quidem utribus etiam hodie ad oleum transferendum Romae utimur, qui ſunt ex hircorum ſiue caprarum integro corio. quem morem antiquorum quoque fuiſſe crediderim ex Virgilio Geor. 2.

Non

Non aliam ob cauſam Baccho caper omnibus aris
Caeditur, & ueteres ineunt proſcaenia ludi,
Praemiaq. ingentes pagos, & compita circum
Theſeidae poſuere, atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

Culleus igitur (ut ad eum iterum redeam) ſeruata ratione praedicta, uino puro, uel aqua pura plenus, pendet, ut dixi, lib. mille ſexcentas. Et de antiquis Romanorum menſuris, quãtum ad liquida & arida attinet, dixiſſe ſufficiat: quarum hae ſunt notae.

Q.	Quadrantal, ſiue amphora.	Q.	Quartarius.
qs.	Vrna ſiue quadrãtalis ſemis.	Cu.	Cyathus.
C.	Congius.	M.	Modius.
S.	Sextarius.		
Ss.	Hemina, ſiue ſemiſextarius.	Ms.	Modiꝰ ſemis, ſiue ſemodius.

Graecarum menſurarum epitome.

GRAECAE liquidorũ aridorumq. menſurae cum non ſolum pro locorũ uarietate diſcrimen receperint, ſed etiã quia apud eos nõ tantum Atticae, quibus frequentius medici ſunt uſi, ſed & georgicae quibus uterẽtur agricolae, & qui agriculturã tractauerũt, necnon Hippoiatricae, quibus ueterinarij uſi ſunt, oẽs capacitate diſſimiles, licet in nomine cõuenirẽt, magnã maximis & doctiſſimis uiris difficultatẽ attulerũt. Ego uero, alieno labore fruẽs, nõ quidẽ eo animo ut alienam laudẽ in me transferã, ut alibi dilucide teſtatus ſum, ſed ut, qquid legerim, ad ſtudioſorũ utilitatẽ referã, eorũ ſentẽtias, in epitomẽ redactas tradã; ut ꝓperãtibus laborẽ minuã. ſunt aũt q̃ ſequũtur.

Menſurae Atticae, ſiue medicae, quibus Graeci ſ ad liquores uſi ſunt.

METRETES, quem ceramiũ, cadũ, & amphorã Graecã, appellauerũt, capit choas duodecim: pẽdet autẽ, oleo plenus, habita ratione ponderis, Cotyle a Galeno traditi, priore libro relati, quod eſt unciarũ ſeptem ſemis, ſiue drachmarũ ſexaginta, pẽdet, inquã, metretes, oleo plenus, libras nonaginta. cũ aũt ſupra traditũ ſit, uinum purum, aquã purã, & acetũ purum, oleo nona parte grauiora eſſe, pẽdet metretes, uino aut aqua plenus, libras cẽtum. Intelligo aũt hic & in ſequẽtibꝰ

omnibus de libra ponderali antiquarũ unciarũ duodecim: quarũ unciarũ pódus unũ & idẽ Graecis, & Latinis fuiſſe, libro quincto demonſtrabo. Hac metretes mẽſura uſi ſunt quoq. Latini, mutato genere, ut Cato c. 107. Oleum ſi in metretã nouã inditurus eris, amurca, ita uti eſt cruda, prius colluito, agitatoq. diu, ut bene cõbibat. id ſi feceris, metreta oleũ non bibet, & oleũ melius faciet, & ipſa metreta firmior erit. De qua & Columella lib. 12. c. 51. Quibus in locis haud dubie pro uaſe, & non menſura capitur. Sed & pro menſura eam ſumpſit idem Columella, dicto lib. 12. c. 22. ſic ſcribens. Picis liquidae metretam adde in labrum. Et iterum eodem lib. c. 40. de lora: Quantum uini uno die feceris, eius partem decimam, quot metretas efficiat, cõſiderato, & totidem metretas aquae dulcis in uinacea addito. De hoc quoq. metrete ſenſit Fannius, qui eum amphorã Atticam, ſiue cadum appellauit, ſic dicẽs.

Attica praeterea dicenda eſt amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies, noſtrae ſi adieceris urnam.

Haec autem uerba, Noſtrae ſi adieceris urnam, uelim intelligas noĩe tenus, i. ut Graeca amphora, ſiue cadus cõſtet ex tot Graecis ſextarijs, ſeu cotylis, ex quo conſtat Romana amphora, & urna. hi enim ſunt ſextarij octo & quadraginta in amphora, & quattuor & uiginti in urna, ita ut metretes, ſiue cadus, uel Attica amphora capiat ſextarios Graecae mẽſurae 72. ſiue cotylas 144. Cotylae autem cum ſint oleo plenae pondo unciarum ſeptem ſemis ſingulae, ut probatum eſt, efficient pondus librarum olei nonaginta, aquae purae, aut puri uini centum.

Chus, qui & choeus appellatur, & qui, ut praedixi, duodecima pars eſt metretes, continet in ſe ſextarios Atticos ſex, ſeu cotylas duodecim, pendet, oleo plenus, ex Galeni, Dioſcoridis, & Cleopatrae ſententia, drachmas ſeptingentas uiginti, quae libras ſeptem & ſemis conſtituunt. iuxta quam rationem pendet aquae purae aut uini puri libras octo & quadrantem.

Sextarius, qui cũ Romanorũ uox & mẽſura ſit, cũ Romano Imperio in Graeciã, in uſu p̃ſertim medicorũ, trãſiuit, imminuta tñ capacitate, choae eſt pars ſexta, cõtinens in ſe cotylas duas: pẽdet aũt, ex relatorũ ſentẽtia, Graecus ſextarius, oleo plenus, uncias quindecim, aqua aut uino uncias ſexdecim, drachmas quinque, ſcripulũ unũ. Hic autẽ ſextarius, licet noĩe ſit idẽ cũ Romano, tamen, ut dixi, capacitate differt, & pódere: ſiquidẽ Romanus, oleo plenus, ut

ſupra ex Dioſcoridis & aliorum ſententia ſtatui, pendet uncias duodeuiginti, hic autem quindecim, ut Galenus tradidit.

Cotyle, quae & Tryblion dicta eſt, ſextarij dimidia pars eſt, choei aũt duodecima, continet in ſe quartarios duos, cyathos ſex: pendet autem, oleo plena, uncias ſeptem ſemis, ſiue drachmas ſexaginta, uino aut aqua uncias octo, drachmas duas, ſcripula duo.

Quartarius, ſiue ſemicotylium, qui eſt, ut uox ſonat, dimidium cotylae, & ſextarij pars quarta, menſura pariter eſt medicis potius, quã ceteris in uſu, continet in ſe oxybapha duo, cyathos tres: pendet, oleo plenus, uncias tres, drachmas ſex; uino aut aqua uncias quattuor, drachmam unam, ſcripulum unũ.

Oxybaphum, qui & a Fannio Oxybaphus dicitur, continet in ſe ſeſquicyathum: pendet, oleo plenum, unciam unam, drachmas ſeptem; aqua, aut uino, uncias duas, ſcripula duo.

Cyathus, qui duodecima pars eſt ſextarij, cotyles ſexta, & quartarij tertia, cõtinet in ſe cõchas duas, myſtra quattuor, chemas quinq., cochlearia parua decẽ: pendet autẽ cyathus, oleo plenus, unciam unã, drachmas duas; uini unciam unã, drachmas tres, grana octo.

De hoc cyatho, & praecedenti oxybapho, & cotyla dixi ſupra, intelligendum eſſe Fannium, dum dixit:

At cotyle cyathos bis ternos una receptat:
Sed de abaco nobis id pondus ſaepe notatur.
Bis quinque hunc faciunt drachmae, ſi appendere tentes.
Oxybaphus fiet, ſi quinque addantur ad illas.

Quem locum ex praedictis de olei drachmis intelliges ex Galeni examine de Graeca cotyle tradito.

Concha, ſemicyathus eſt, continens in ſe myſtra duo: pendet autem, oleo plena, drachmas quinque, uino aut aqua drachmas quinq., ſcripulũ unum, grana xx. De concha inter Latinos meminit Cato c.73. quã uidetur ſumpſiſſe pro uaſe, quo capulator oleum tollit. Sed & pro menſura, & quidẽ parua, eã ſumpſiſſe uidetur idẽ Cato c.173. De minori & maiori concha meminit idẽ c.15. inter inſtrumenta cellae oleariae. De concha etiam pro uaſe, nec eo quidem minimo ad chryſocollam lauandum, meminit Plinius lib.33.c.5.

Myſtrum cyathi quarta pars eſt, pendet autẽ oleo plenum drachmas duas ſemis, aqua aut uino drachmas duas, ſcripula duo, grana octo.

Cheme, quincta pars eſt cyathi, capit cochlearia minora duo, pẽdet oleo plena drachmas duas, aqua aut uino drachmas duas, gra. xvj.

Cochlear, cui ſolet adijci paruum, cyathi pars eſt, ex iuniorū ſententia, decima: pendet oleo plenum drachmam unam, uino aut aqua drachmam unam, grana octo: de his tamen Fannius ita ſcripſit:

At myſtrum cyathi quarta eſt, ac tertia myſtri,
Quam uocant cyanem. capit haec cochlearia bina.

Iuxta quam ſupputationē paruum cochlear, pars quarta & uigeſima cyathi eſſet. diſſident enim de menſuris, quae infra chemem ſunt, ſcribentes fere omnes, eam tamen quartam cyathi partem eſſe conſentientes.

Atticae aridorum menſurae.

MEDIMNVS capit choenicas octo & quadraginta, ſextarios uero Graecos duos & ſeptuaginta. iuxta quā ſupputationem choenix eſt cotylarum trium.

Choenix capit cotylas tres, ſeu ſeſquiſextarium, cyathos uero duodeuiginti.

Cotyle capit oxybapha quattuor, cyathos ſex.

Oxybaphus capit ſeſquicyathum.

Cyathus cochlearia parua decem.

Qui harū menſurarū modulū conſequi uoluerit, cotylē formabit, quae unciarū ſeptē ſemis olei capax ſit, & cū ea multiplicabit, & in minores diuidet, paruoq. negotio ceteras & certam medimni & choenicis menſuram habebit. Hic notandum, quod choenix frumenti, quae pro diurno cibo familiae aſſignabatur, non eſt haec Attica, ſeu medica, de qua loquimur, ſed georgica, quae ex ratione ſtatim dicēda ſeſquialtera eſt ad iſtā. qua ratione fit, ut cū duobus ſextarijs Romanis non multo diſcrimine, nēpe quantū unciae duae, & unciae pars quarta, ſiue ſicilicus olei, loci ſeu ſpatij occuparent. quo quidē ſpatio & capacitate duo Romani ſextarij georgicum choenicem excedunt. quod autem ſupra in modio dixerimus, quattuor modios demenſum ſeruorum fuiſſe, qui ſunt ſextarij quattuor & ſexaginta, modico negotio intelligimus, Romanos & Graecos parē fere uictum familiae & ſeruis tribuiſſe. de choenice, quae diurni uictus eſſet, meminit Homerus in perſona Telemachi Odyſſeae decimonono, ſic dicentis, ut iuniores uertunt.

Haud operis uacuum noſtrum contigere quemquam
Choenica perpetiar, longis licet hoſpes ab oris
Venerit. De qua Suidas ab eiſdem relatus ſic ſcribit. Choenix

nix enim cibus diurnus. unde & prouerbij in morem uſurpatum eſt, Choenici non inſidendum.

De Georgicis.

GEORGICAE menſurae, quibus utebantur agricolae, & tractãtes res ad agriculturã ſpectantes, eaedem ſunt nomine cum ſupradictis, tam liquidorũ, quam aridorum: diuerſae tamen ſunt capacitate, & pondere: ſiquidem ſeſquialterae ad medicas ſunt, ideſt, dimidio ampliores, quã illae. Nam cotyle, quam in Atticis, ſeu medicis probauimus oleo plenã uncias ſeptem ſemis pendere, in iſtis georgicis pendet uncias undecim, & drachmas duas, ideſt quantum illa, & amplius dimidium illius. qua ratione quilibet modico negotio de cuiuslibet capacitate poterit iudicare. hoc unum moneo, ut animaduertat eũ, quẽ legit, auctorem, & rem, de qua tractat, ut diſcrimina georgicarum & Atticarum aſſequi poſſit, ne decipiatur.

De Hippoiatricis.

HIPPOIATRICAE menſurae, quibus ueterinarij in curãdis equis, & bubus, ceterisq. animalibus uſi ſunt, eodem pariter ſunt nomine cum Atticis, capacitate tamẽ ab illis & georgicis differunt: habent enim ſe ad medicas, proportione ſupra tertiam, ideſt capiunt quantum illae, & amplius illarum partem tertiam. Exemplum in cotyle, quae in Atticis, ut ſaepius diximus, oleo plena pendet drachmas ſexaginta, quae ſunt unciae ſeptem ſemis, in iſtis pendet uncias decem, ſiue drachmas octoginta. iuxta quam ſupputationem reliquarum capacitas & pondus facile poterit inueniri. Et hactenus de antiquis menſuris dixiſſe ſufficit: quarum notae ex ignoto Graeco, & iunioribus haec ſunt.

Ceramium.
Choa.
Sextarius.
Cotyla.
Tryblion.
Oxybaphus.
Cyathus.

Myſtrum.
Cheme.
Medimnus.
Choenix.

LVCAE

LVCAE PAETI IVRISCONS.

LIBER QVARTVS.

De liquidorum aridorumq. menſuris, quibus hodie Romae utimur, deq. earum pondere.

NVNC de ijs liquidorum aridorumq. mẽſuris, quibus hodie Romae utimur, dicẽdum eſt, & primo de ijs, quibus liquida metimur, quae & ipſae bipartitae ſunt. Aliae enim olei ſunt, aliae uini, aceti, ceterorumq. liquidorum, qui menſura tractantur: licet unum idemq. nomẽ tam olei quã uini menſuris commune ſit, barbarasq. uoces barbare me proferre profiteor, ne, dũ eas latinitate donare ſtudeo, rem per ſe obſcurã obſcuriorẽ efficiam. Primũ igitur locum in uini menſuris tribuo Bocali, ſeu baucali: de quibus e noſtris meminit Catellianus Cotta in memoralibus uerbo Supellectili legata: quae menſura me puero Petittus appellabatur, & ita in marmoribus, ubi haec menſura cum ceteris in Conſeruatorum Capitolinis aedibus in publico eſt expoſita, inſcripta eſt. Hic petittus diuiditur in duos ſemipetittos, quos alij medios abſolute, alij medios petittos, ſeu media bocalia appellãt: atq. hic dimidius petittus rurſus in duas partes, quas foliettas appellant, diuiditur: nec alia infra foliettam, ſeu minor folietta menſura reperitur: licet nõ ſemel tentauerim, eam quoq. ut pauperibus cõſuleretur, diuidi oportere: quod forſitan fiet. Supra petittũ eſt cõgius, ita in marmoribus, de quibus ſupra, appellatur, conſtans ex petittis octo: cuius ſemicongius, conſtans ex petittis quattuor, cõgitella a noſtris municipalibus iuribus, quaſi paruus congius, appellatur. Supra congium eſt Barilis, cõſtans ex congijs quattuor, congitellis autẽ octo, petittis uero duobus & triginta. Supra Barilem, eſt ſalma, ita a noſtris municipalibus iuribꝰ appellata: quae ſi uini ſit, taxatur congitellarum quattuor & uiginti; ſi muſti, ſex & uiginti, illis duobus additis propter deſaecationẽ, ut

arbitror,

arbitror,& id quod in deferbuendo amittitur. quam congitellam ita, ideſt petittorum quattuor,intelligendam eſſe,alibi declaraui, cum ex diminuto congij nomine,tum etiam,quia,ſi aliter,ideſt de congio intelligeretur,ſalma illa conſtaret ex barilibus ſex,onus nō unius, ſed duorum ualidorum equorum: & ita uſu receptum eſt. Eſt etiam ſupra Barilem Caballus ſiue Caballata,uulgo aeſtimatus muſti barilium quattuor; de qua auctoritatem aliam,quam uulgi opinionem, non habeo. Poſtremo eſt illa, quā appellant Bottem, conſtans ex barilibus octo.quarum menſurarum hic finis,qui culleo: de quibus ſingulatim differendum cenſeo:ut exinde cum antiquis cum Graecis tum Latinis collatio fieri poſſet.

Folietta (ut a minori incipiamus) uino puro, non craſſo, non nigro, nō cocto,aut aqua pura plena, pendet uncias ſexdecim, earū ſcilicet, quibus hodie Romae utimur. cum autē ſingulae noſtri tēporis unciae, ſcripulo uno & granis quattuor ſingulis antiquis unciis maiores ſint, ut ſupra primo libro dictū & deductū eſt: efficitur,ut haec folietta, uino puro aut aqua pura plena,pendeat antiquas uncias ſexdecim, drachmas ſex, grana ſexdecim. quo fit,ut ſi folietta cum ſextario Romano cōferatur, ab eo longe differre cognoſcatur. ille enim,ut iam demōſtraui,pēdet ex his antiquis uncias uiginti: ſi uero cum Atticorū ſextario, ſeu duabus Atticis cotylis conferatur, cum ſextarius ille Atticus,aqua aut uino plenus, citra cōtrouerſiā pendeat uncias ſexdecim, drachmas quinque,& ſcripulum unum, prope eſt ut conueniāt. interſunt enim ſcripula duo, grana ſexdecim, quibus ſextarius Atticus folietta minor eſt, antiqui ponderis ratione habita. Cur autem folietta haec potius ad Atticum ſextarium,quam ad Romanū accedat, eadem ratione factum crediderim, qua primo libro arbitratus ſum, pede relicto, ſpithamae,ſeu ſpannae,uſum in Italiā prorepſiſſe. nam cū Imperiū in Byzantium a Cōſtantino translatum fuiſſet, Graeciq. Italia potirentur, Romaq. inſequentibus deinceps temporibus a Graecis rectoribus gubernaretur, in tanta rerum calamitate ſuas Graeci menſuras, & uoces introducere conati ſunt. quod eo facilius adducor ut credam,quod in noſtris municipalibus iuribus,quae ab hinc annis trecentis uigebant,lib. 3. c. 106. haec legantur. Omnes menſurae tam rublitellarum, quam congitellarum, uini & olei, quarteronum & metretorum, ſigillo ſenatus ſignētur. conſtat autem ex ijs, quae dicta ſunt,metretem, Graecam menſuram fuiſſe.

etſi de ea Columella bis aut ter meminerit.

Medius, ſiue dimidius petittus, conſtat ex foliettis duabus. pendet autem, uino puro & aqua pura plenus, ſecundum ſupputationem praedictam, uncias duas & triginta, noſtri temporis, hoc eſt libras duas, & beſſem; ex antiquis uero, uncias tres & triginta, drachmas quattuor, ſcripulum unum, grana octo.

Petittus, qui & hodie bocalis dicitur, conſtat foliettis quattuor, pendet, uino puro aut pura aqua plenus, uncias quattuor & ſexaginta, ſiue libras quinq. & trientem, ex antiquis uero uncias ſeptem & ſexaginta, ſcripula duo, grana ſexdecim.

Congitella, quae eſt ſemicongius, conſtans ex petittis quattuor, pendet uino aut aqua plena, noſtri temporis libram unam & uiginti, ac trientem librae, ideſt uncias ducentas quinquaginta ſex, antiquarum uero libras duas & uiginti, drachmas tres, ſcripulum unũ, grana ſexdecim, hoc eſt uncias ducentas octuaginta quattuor, drachmas tres, ſcripulũ unum, grana ſexdecim. & huius duplũ eſt congius: cuius menſura in Capitolio, Vini congius, eſt inſcripta.

Barilis, quem idem Catellianus in uerbo Vinitor, Romanorũ, ideſt noſtri tẽporis menſurã eſſe aſſeruit, cõſtat, ut dixi, ex congiis quattuor, cõgitellis uero octo, petittis autẽ duob⁹ & triginta. uino puro aut aqua pura plenus, pẽdet noſtri tẽporis libras centũ ſeptuaginta, & librae beſſem, antiquarũ uero libras centum ſeptuaginta octo, uncias undecim, drachmas quinq., ſcripula duo, grana octo.

Botte, quae Doliũ latine paſſim uertitur, & recte; licet antiquis Romanis dolia alterius materiei & formae eſſent, nempe ex opere figulino, ut alibi dixi, & ſubiectũ in calce operis ſchema oſtendit, & Plinius demõſtrat lib. 14. c. 21. & lib. 35. c. 12. & Columella lib. 12. c. 18. & Iabole. Iuriſc. l. dolia de fundo inſtructo, qui etiam de plũbeis meminit: conſtat, inquam, hoc dolium ex barilibus octo: etſi uaſa ipſa maioris ſint capacitatis: nam & trecentorũ barilium non longe ab urbe uidi, & plurium eſſe audiui: haec autẽ noſtri tẽporis dolia ex caſtanea materia fabricãtur, circuliſq. etiã caſtaneis, & colurnis, ſeu etiã ex orno factis, quin etiam maiora ferreis quoq. cinguntur. qui quidẽ ligneorum doliorum uſus, etſi Plinij tẽporibus adhuc Romanis nõ eſſet, tamen in locis circa alpes exſiſtentibus in uſu erant, ut Plinius ipſe teſtatur lib. 14. c. 21. ſic dicens. Magna eſt collecto iam uino differẽtia in cella. circa alpes ligneis uaſis condunt, circuliſq. cingunt, atque etiã hieme gelida ignibus

rigorem

rigorẽ arcent. Haec ille. Quem uſum in Sicilia quoq. fuiſſe, colligi licet ex eodem Plinio lib. 8. c. 6. dum de elephantorum in Italiam transfretatione ſic ſcripſit: Centum quadraginta fuere tranſuecti ratibus, quas doliorum conſertis ordinibus impoſuerant. Quo in loco de fictilibus dolijs intelligi non poteſt, cum illa tum propter materiei ponderoſitatem & grauitatem, tum etiã propter oris patentiam, potius ipſa auxilium ad transfretandum recipere, quã alteri dare ſint apta. quod de ligneis ſecus eſſe uidemus: cum illorũ ope, ſi plena demergantur, & pondera alligentur, dein fiſtulis tractoriis per os exinaniantur, etiã magna põdera ex profundo erui & attolli poſſe cõpertum ſit. ratibus enim ad trãſportandum maiora onera, quae humidum non timerent, uſi ſunt antiqui, quas ex trabium conſertis ordinibus, ut & nos hodie (qui eas Romae Trabatas dicimus, Tridentini & Veneti Zattas appellant) ſine carinis & puppibus conſtituebant, ut Lucanus lib. 4. paullo poſt recitandus declarat. quibus ratibus ad maiora onera ſuſtinenda uacuorum doliorum ſeu cuparum ordines ſupponebant, ut in dictorum elephantorum transfretatione factum fuiſſe Plinius refert. & ita intelligendum puto Lucani carmen illud:

Namq. ratem uacuae ſuſtentant undiq. cupae.

Non, ut alij ſenſere, quos Catellianus Cotta ſecutus eſt, putans inde colligi cupis naues ſuſtineri, cum illarum carinae aut latera reſarciuntur, cum non ſolum Lucanus id nõ ſenſerit, ſed etiam uſus aliter fieri demonſtret: ſiquidem naues ad ſarciendum aut ſubducũntur, iuxta illud Virgilij primo Aen.

Vrbem quam ſtatuo, ueſtra eſt: ſubducite naues:

Aut, malo incotiguã alteram nauem aut proximum litus alligato, in latus inclinantur, ita ut latus alterum aquam cõtingat, alterum reſarciendum caelum ſpectet. quod & in nauibus & triremibus factum fuiſſe ſaepe uidi. Lucanus igitur eo in loco proprie de rate, & non improprie ratem pro naui, ut quandoq. facere conſueuerunt poetae, intellexit, ut illius uerba aperte demonſtrant, quae etiam modum ratis fabricãdae belliſſime explicant. Sunt aũt haec.

Vt primum aduerſae ſocios in litore terrae,
Et Baſilum uidere ducem, noua furta per aequor
Exquiſita fugae. neque enim de more carinas
Extendunt, puppesq. leuant, ſed firma gerendis
Molibus in ſolido contexunt robora ductu.

Namque

Namque ratem uacuae ſuſtentant undiq. cupae.
Quarum porrectis ſeries conſtricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos:
Nec gerit expoſitum telis in fronte patenti
Remigium, ſed, quod trabibus circumdedit aequor,
Hoc ferit, & taciti praebet miracula curſus,
Quod neq. uela ferat, nec apertas uerberet undas.

Quas quidem rates ex ſcirpo pro pueris nare diſcentibus fieri conſueuiſſe, teſtatur Plautus in Aulul.ſce.4. actu 1.his uerbis

Quaſi pueris, qui nare diſcunt, ſcirpea inducitur ratis,
Qui laborent minus, facilius ut nent, & moueant manus.

Vſus autē ligneorum doliorū hodie apud omnes Italos pertranſiuit, ſublatis in totum teſtaceis, cum ſua picādi difficultate, & tranſportandi periculo, &, quod omnium maximum uidetur, cum pene illa incredibili moleſtia hauriēdi uinum per ipſorum uaſorum ora, tam in diffundendo, ideſt de uno in aliud uas tranſportādo, ut docet Iuriſconſ. Proculus l. uinum, de tritico legato, & Columella lib.12. a c.18. uſq. ad 30. quam in depromendo & deguſtando, ut praedicti auctores, & Plinius lib.14. c.14. demonſtrant: de quo & Terentius in Heautent.

Releui, dolia omnia, oēs ferias. De qua re alibi. Iſta igitur noſtra dolia, ut ad ea redeamus, ex communi uſu octo barilium cum in uenditionibus, tum in ſtipulationibus ceteriſq. commercijs eſſe intelliguntur, niſi certū corpus, de quo intelligatur, demonſtratum ſit. Pendent autem, ſi, ut dixi octo barilium ſint, uino puro aut aqua pura plena, noſtri tēporis libras mille trecentas ſexaginta quinq., uncias quattuor, ex antiquis libras mille quadringentas triginta unam, uncias nouē, drachmas tres, grana xvj. Cum igitur culleus pēdeat ex antiquis libras mille ſexcentas, apparet bariles nouem (cuius ferme ſunt mēſurae dolia iſta cōmunia, quae Neapoli praeſertim conficiuntur) cum antiquo culleo in capacitate cōcurrere. nouem enim bariles pendent ex antiquo pōdere libras mille ſexcentas decem, uncias nouē, & drachmas quattuor, ita ut ad cullei pondus ſuperſint librae decem, unciae nouem, & unciae ſemis. Si quis igitur ex nouem barilibus petittum unum & ſemis demeret, culleum, modicarum unciarum diſcrimine intercedēte, coaequaret. Supputationes huiuſcemodi laborioſae potius ſunt, quā ingenioſae. quem laborē cum rerum antiquarum ſcriptores uitauerint,

in maximas nos tenebras coniecerunt. praeſertim cum Graecas menſuras & monetas in Latinas & ex cõtrario uerterent,quia nõ, quibus & quantũ conuenirent,& in quo diſcreparent,exacte ſupputare curauerunt, ſed ad proximã,ſeu ſimilem recurrentes,duas cotylas pro ſextario,tres urnas pro metreta,& ſimilia uertẽtes,hiſce rebus tenebras,ut dixi,effuderunt,laboremq.poſteris etiã doctiſſimis reliquerunt, cum tamen, ut ſupra demonſtratum eſt, eae menſurae inter ſe non parũ differant, quarũ quo maior numerus auctus fuit,eo maius diſcrimen exortum eſt.ſic & drachmã pro denario, cum denarius in moneta conſideratus non unius ponderis perpetuo fuerit,ut ſequenti libro demõſtrabo. Quae ideo dixiſſe uolui,ne ſtudioſi circa praedicta,quae plurima ſunt,diutius haeſitent: ut a iunioribus quoque optime traditum & declaratum eſt.

De olei noſtri temporis menſuris.

SEQVITVR, ut de olei menſuris dicamus:quae,ut praedixi, forma & nomine eaedem ſunt cũ uini menſuris. utriuſq.enim uini & olei eſt cõgius,& cõgitella:utriuſque dicitur petittus,ſiue bocalis:utriuſq.medius,& folietta:capacitate tñ differunt, etſi in pondere conueniant, ut infra ex utriuſq.collatione apparebit:quod non nihil conferre arbitror ad eam,quã ſupra feci,coniecturã,cum dixi olei menſurã antiquis a uini menſura capacitate fuiſſe diuerſam, in pondere parem,Galenum & Dioſcoridem ad concordiam redigendo. Sunt autẽ olei menſurae hae,Congius,conſtans ex petittis, ſiue bocalibus octo: cuius menſura cum ſua iſta,Congius olei,inſcriptione,in Capitolino palatio cum aliis conſeruatur. Item Congitella, conſtans ex petittis quattuor,diminutione,ut arbitror,a congio,ſicut a rublo rublitella appellata.Item Petittus olei,cuius pariter menſura cum inſcriptione,ubi ſupra,ſeruatur. Item dimidius petittus. Item Folietta, & foliettae dimidium, & quarta. qui medius,& petittus ex figulino opere cõſtant, congius & congitella ex aere,reliquae minores ſtamneae, ponderis autem infradicendi.

Petittus olei, oleo puro plenus, qui oliuarum ſit, de quo ſemper intellexi, & defaecatus, pendet uncias noſtri temporis quattuor, & ſexaginta, drachmas ſeptem,ſcripulum unũ,antiquarũ,de quibus ſupra,uncias octo & ſexaginta,ſcripulũ unum,gra.15. ½ ¼ Aquae purae autem noſtri temporis duas & ſeptuaginta,drachmas ſeptẽ.

Ex

Ex collatione igitur ponderis petitti olei, oleo pleni, & uini uino pleni, conſtat, ipſas menſuras in pondere concurrere, drachmis ſeptem, & ſcripulo uno intercedentibus: quod diſcrimen in mole unciarum quattuor & ſexaginta, uix ſenſibile eſt: ut iam uel ex omni minima indiligentia publicanorum, qui hodie eas menſuras ex aere fabricatas cuſtodiūt, quo uendentium menſuras aequent, & ſignent, euenire poſſe, facile admitti poſſet.

Medius, ſiue dimidius olei petittus, oleo plenus, pendet noſtri temporis uncias duas, & triginta, drachmas tres, ſcripula duo, antiquarū uncias quattuor triginta, gra. 19. ∤ ¼ aqua pura aut uino, ſi his liquoribus impleretur, noſtri temporis uncias ſex & triginta, drachmas tres, ſcri pulum unum, gra. 12.

Folietta olei, quae pars quarta eſt petitti, pēdet oleo plena noſtri tēporis uncias ſexdecim, drach. 1. ſcrip. 2. gra. 12. antiquarum uncias decē, & ſeptem, gra. 9. ¼ ∤ aqua aut uino plena, ſi eo impleretur, noſtri tēporis uncias duodeuiginti. Diſcrimen igitur pōderis menſurae uini ab oleo in folietta, eſt drachmae unius, ſcripulorū duorū, & granorum duodecim. Pondera autem ſemifoliettae, & aliarū minu tarū menſurarū, quilibet paruo negotio ſupputare poterit.

Congitella olei, quae congij eſt dimidia, capit oleo plena uncias noſtri temporis ducentas quinquaginta nouem, drach. 5. ſcrip. 1. hoc eſt libras unam & uiginti, uncias ſeptem, drach. 5. ſcrip. unum, antiquarum uncias ducentas ſeptuaginta duas, drach. 3. ſcrip. unum, gra. 22. ∤ ¼ aqua pura, aut uino, ſi ijs impleretur, noſtri temporis uncias 288. Cuius duplum eſt congius, conſtans ex petittis octo, ut praedixi. Et hic finis olei menſuris, quibus Romae utimur. nam utres, quibus oleum transfertur, incertae capacitatis ſunt, licet cū congitellis decem plus minus in menſura concurrant.

De aridorum, quibus Romae utimur, menſuris.

ARIDORVM noſtri temporis menſurae ſunt, Rublū, Rublitella, quae rubli eſt ſemis, Quarta, quae rubli eſt pars quarta, Scortium, Semiſcortium, Quartucium, & Semiquartucium, quae ſe inuicem habent, ut infra.

Rublum in menſura aridorum conſideratum, eſt menſura potius intellectu percepta, quā quod per ſe appareat, propter illius magnitudinem, quae manibus a metientibus facile tractari non poſſet: quod tamen ex duabus apparentibus rublitellis cōſtituitur: quarū rubli-

rublitellarum tam frumenti, ordei, aliarumq. frugum, quam etiam calcis & ſalis, quae inter ſe differunt, ſchemata, & menſurae, marmoribus inſculptae, in palatio Capitolino, ut reliquae, conſeruantur. Hoc autem rublum, frumenti ſcilicet & frugum, conſtat ex rublitellis, ut dixi, duabus, quartis quattuor, ſcortiis uero uiginti, aut duobus & uiginti, iuxta menſurarum qualitatem, hoc modo. Rublitella aut quarta, quarũ oblonga eſt forma, palis leuiter frumento impletur fere ad ſummum, menſuraq. ipſa ter ab utroque capite extollitur, & humi percutitur, ut frumentum calcetur, dein iterum impletur, regulaq. ducta, quod ſupra menſuram eſt, quoad fieri poteſt, raditur, & ſuper excedens excluditur. & haec menſura ſcortiorum eſt uiginti, appellaturq. Campi Florae menſura, quia in eo foro aduectum maxime ab aduenis frumentum populo uenditur, in quo ut plurimum non rublitellis, ſed quartis frumentũ admetiuntur. in horreis uero, ac inter mercatores & furnarios (nam furnarij in eo foro, ut pauperibus conſultum ſit, emere prohibentur) frumentum rublitella alio modo mẽſuratur. palae namq. ligneae admodum patulae, frumento plenae, in altum a baiulis, quantum fieri poteſt, ſubleuantur, ac derepente certo etiam ictu ſubducuntur, ut frumentum ex alto cadens ictu in rublitellam calcetur, idque a duobus altrinſecus fit. quam menſuram Palam battutam (quaſi percuſſam dixeris) appellant. quo more ſcortia creſcunt, ut ſint uiginti duo, aut etiam plura, prout regula radula propius ad rublitellae fauces admouetur, uel extollitur, quod pro frumenti caritate aut uilitate diligentius aut negligentius animaduertitur: ſiquidem in caritate auarius radula ſiue radius ducitur, ut minus, quam fieri poteſt, uenditori concedatur. Cuius autem ponderis ſit frumenti rublum, uix eſt ut ſtatui poſſit: cum ex diuerſis annorũ qualitatibus pondus uariet: in communi tamen menſura (quam palae battutae appellari dixi) librarum pondo ſexcentarum eſſe ſtatuitur. quod tamen perpetuum non eſt. nam, dum haec ſcriberẽ, etſi frumentum non ultra ſexuplum reddidiſſet, quia tamen rubiginis calamitate hoc anno caruimus, põdo ſexcentarum ſeptuaginta librarum, etiam ducta regula radula, quoad fieri poſſet, pro maiori parte frumenti rublum appenſum extitit. & tamen tribus ab hinc praeteritis annis, quia rubigo infeſta fuit, uix frumenti rublum inuentum fuit, quod quingentarũ uiginti librarum põdus aequaret: ut liquido uerũ eſſe appareat, quod & antea dixi, mẽſurae fruméti

& frugum, certum pondus ſtatui non poſſe. Rublum iſtud, & uini barilem, putauerunt quidã è noſtris a menſuris, quibus interualla metimur, ideſt a palmo, ut a pede quadrantal, conſtitutos fuiſſe, aſſerentes rublũ ex quadratis palmis quinq. & uiginti conſtitui, quia putauerunt cannam quadratam, quae mille palmorum eſt, rublis quadraginta repleri: qua ratione palmi quinq. & uiginti quadrati rublum conſtituerent. ſed ex fide dignorum relatu, qui hoc diligenter examinarũt, canna quadrata quinq. & quadraginta rublorum eius menſurae, quae Campi Florae appellatur, capax eſt. qua ratione rublum ex palmis duobus & uiginti, & fere quarta parte alterius palmi, conſtare dignoſcitur: ideoq. non ueriſimiliter ex palmo fabricatum fuiſſe credi debet: cũ, ſi ita factum eſſet, aliquo pari, aut ſaltem completo numero abſque palmorum fragmentis fabricatum exſtitiſſet. quod & de barili credendum eſt. nam conſtat, palmum unum, in cubicam figuram formatum, ſex petittis ſeu bocalibus impleri: qua ratione ex palmis quadratis quinque, & palmi parte tertia, barilis conſtat: ideoq., non habita palmi ratione, ſed congii, cum ex petittis duobus & triginta conſtitutum fuiſſe, credendum eſt. aliaq., unde rublum formatum fuerit, ratio quaerenda eſt. Memini me ſupra dixiſſe, rublum terrae menſurae catenae, rublum unum tritici purgati & cribrati, eius ſcilicet menſurae, quam palam battutam appellant, in mediocri terra & prima ſementi expoſcere: & alibi rublum terrae ex iugeris ſeptem, & iugeri ſeptunce, ſcripulis duobus, & ſemiſſe ſcripuli conſtitui. ut igitur ſcirem, ſpiſſius ne, an rarius hodie, quam Columellae temporibus, ſemen in agris iaciamus, calculum inire libuit, & exinde noſtri temporis ſcortium cum antiquo ſextario examinaui, inueniq. ſcortium ſextariis quattuor & uiginti repleri: quo fieri cognoui, (ea ratione retenta, ut rublum ſeminis menſurae palae battutae ex ſcortiis duobus & uiginti conſtet) rublum tritici, quingentos uiginti octo ſextarios capere, & ſic modios, qui ex ſextariis ſexdecim ſinguli cõſtant, tres & triginta. Cum autem aſſerat Columella lib. 12. c. 9. Iugerũ agri mediocris terrae, in prima autumnali ſementi, modios tritici quinq. expoſcere, rublumq. terrae, ut praedixi, ex iugeris ſeptem & ſemis & eo amplius conſtet, euenit ut, ſecundum Columellae rationem, modii ſeptem & triginta & modii ſemis, & eo amplius tritici, in terrae rublo requirantur: & tamen his noſtris tẽporibus in rublo terrae tres & triginta modij iaciun-

tur.

tur. Ex qua ſupputatione colligitur, Columellae temporibus tritici ſemen ſpiſſius, quam hodie, ſpargi conſueuiſſe.

Rublitella per diminutionem a rublo dicta, dimidia pars eſt rubli, conſtans ex ſcortijs decem uel undecim, iuxta menſurae qualitatem, de qua ſupra.

Quarta, ut nomen dictat, rubli pars eſt quarta, conſtans ex ſcortijs quinque, aut quinque & ſemis, iuxta menſurarum qualitatem, de quibus in rublo.

Scortium menſura eſt rotunda, q̃ quoad fieri poteſt, cumulatur, & ita cumulata mẽſurae rubli rublitellae & quartae, quarum ſuperficies raduntur, reſpondet, licet non in omnibus recte. longa enim differentia cumuli eſt inter miliũ, quod labitur, & ordeum, aut ſiligin̄e, uel ſimilia, quae non ita de facili labuntur, ita tamen & male ſeruatur. Diuiditur autem ſcortium in ſemiſcortia duo, quartucia, i. ſcortij quartas 4. & ſemiquartucia 8. quae omnes menſurae, inſtar ſcortij, rotundam formam habent, & cumulantur. Et hic earũ finis.

LVCAE PAETI IVRISCONS.

LIBER QVINCTVS.

De ponderibus Romanis & Graecis.

TErtia inſtituti laboris pars continet pondera, quibus leuitatem grauitatemq. rerum trutina modulamur, & ſcimus, humani commercij pars optima: nempe pondere non ſolum numiſmata ad ceteras res comparandas certa lege taxata ſunt, ſed etiam pondere rerum pretia metimur, & annonã certa lege, ad publicam utilitatem, non minus quam menſura, tuemur, ideoq. Reip. intereſt, ut pondera certa & inuiolata cuſtodiantur. Quamobrem Diuus Hadrianus, ut refert Vlpianus, lege annonã, de extraordin. criminibus, edicto cauit, ne quis pondera uiolaret. Vlpiani uerba ſunt haec. Onerant annonam etiam

ſtaterae adulterinae: de quibus Diuus Hadrianus edictũ propoſuit, quo edicto poenam legis Corneliae in eos ſtatuit,perinde ac ſi lege teſtamentaria, quod teſtamentum falſum ſcripſiſſet,ſignaſſet,recitaſſet,damnatus eſſet. Haec ille. Quin etiam eum,qui maiora pondera commodauit ad pondus ementi, furti uenditori teneri Mela ſcripſit: emptorem quoq.ſi ſciuit: non enim uoluntate uenditoris accepit,cum erret in pondere,ut idem Vlpianus teſtatur,l.ſi quis uxori,de furtis. Hinc, ut ſupra tertio libro demonſtraui, imperialibus ſanctionibus in omnibus prouincijs Romano imperio ſubiectis, Menſurae & pondera publice cuſtodiebantur ita,ut uiolari non poſſent. Cum autem diuerſis gentibus,& praeſertim Graecis diuerſarum rerum diuerſa põdera fuerint, Romanis tamen rerum omnium unum pondus exſiſtit, nempe libra, conſtans ex uncijs duodecim, ut Fannius tradidit.

Vnciaq.in libra pars eſt, quae menſis in anno. quod & ex ſequentibus latius apparebit. Hanc autem libram,aſſem quoq.fuiſſe appellatam ab aere tradit Varro de ling. Lat. lib.4. cuius haec ſunt: Multa pecuniae ſignatae uocabula ſunt, aeris & argẽti haec, as ab aere, dupondius a duobus ponderibus, quod unum pondus aſſipondium dicebatur, id ideo, quod as erat librae pondus,deinde ab numero reliquũ dictum uſq.ad centuſſis. Haec ille. Quod quidem aſſis nomen cum in agrorum dimenſionibus, tum etiã in hereditatũ diuiſionibus tranſiuiſſe, primo libro oſtenſum eſt. Sed & aſſem pro uno in numero Columellã accepiſſe conſtat,quod apud alium me legiſſe, aut ab alio animaduerſum fuiſſe,nõ memini,lib. 5. cap. 3. his uerbis. Duco quinctam partem longitudinis, fiunt CCXL. & quinctã partẽ latitudinis, hoc eſt XXIV. his utriuſq. ſummis ſingulos aſſes adijcio,qui efficiũt extremos ordines,quos uocãt angulares. fit ergo altera ſumma ducentorum quadraginta unius,altera uiginti quinq. Haec ille.Qui hoc ibidẽ ſaepius repetijt. quae uox aſſis pro uno Italis teſſerulis ludentibus remanſit. ij enim punctum unum in teſſerulis, aſſum nominant,ab aſſe,ut arbitror, littera mutata. In põdere autem libram aſſem fuiſſe appellatam,probat etiam Plinius lib.33.c.3.his uerbis.Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem deuictum uſus eſt. Libralis,unde etiam nunc libella dicitur,& dipõdius appellabatur aſſis. Haec ille. Libram autem & pondo idem ſignificare, & uerbum pondo pro libra capi, ſi nihil aliud adiectum ſit,

& ſcriptores utroq. uerbo ad idem demonſtrandū promiſcue uſos fuiſſe, etſi legentibus manifeſtum ſit, adhuc tamen aliquibus au-ctoritatibus probare libet: ut error eorum, qui aliter ſenſerunt, oſtendatur, etſi ſatis a iunioribus ſit detectus. Cato c.128. Adipis pondo duo, caſei libram. Columella lib.6. c.10. Veterem tuſſim ſanant duae librae hyſſopi macerati ſextarijs aquae tribus. Plinius lib.33.c.4. de auro loquens: Inueniuntur ita maſſae, necnō in pu-teis, etiam denas excedētes libras. Columella lib.12. c.41. de mu-ſto lixiuio. Conijcies in urnam muſti mellis optimi pondo decem. Sed quod unus idemq. auctor, una eademq. oratione, utroq. uer-bo uſus fuerit, probatur ex Plinio lib.18. c.7. qui de generibus fru mentorum loquens ſic dixit. Quibuſdā generibus per ſe pondus, ſicut Balearico, modio tritici panis pondo 30. reddit, quibuſdam in binis miſtis ut Cyprico, & Alexandrino, uiginti prope libras nō excedentibus. Haec ille. Nec refert, uerbum Pondo praecedat, aut ſubſequatur numerum. nam pondo 30. & 25. pondo Plinius eo-dem libro ſcriptum reliquit. Sed & uerbum Pondo libra coniun-ctum ſaepius legitur, pondo libram, pondo unciam: de quibus Columella lib.12. c.2. calami pondo libram, Plautus in Rud. actu quarto, ſcena ſecunda.

Neque piſcium ullam unciam pondo hodie cepi.

Quibus multa ſimilia curioſus lector paſſim offendet. Supra librā autem, & eam, ut dixi, unciarum duodecim, pondus Romanis fuiſ-ſe, non legitur. nam quod apud Plautum in Aſin. actu ſecundo, ſcena tertia ſcriptum legitur:

Ad pedes cum alligatus es aequum centū pondium: ex numeri librarum compoſitione dictū eſt, ſicut dupōdium, & ſimilia: quod & praecedentibus uerbis Plautus demonſtrauerat, illud idē pon-dus, diſiunctis uerbis proferendo:

Nudus uinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.

Sic multiplicato librarū numero mille pondo, duo millia pondo, tredecim millia pōdo, & uicena millia pōdo, dixit Plinius lib.33. c.1.3. & 4. Nam quod Cato centum pondium incertum appella-uit c.15. de cellae oleariae inſtrumento loquens, his uerbis: Tru-tinam unam centum pondium, incertum unum, pōdera certa: ali-ter, quam iuniores ſenſerint, (pace eorum dictum ſit) intelligen-dum puto: incertum enim centum pondium, intelligo ego pon-dus librarum centum, ex diuerſis diuerſorum ponderum maſſis,

non autem ex una ſola maſſa conſtitutum. habebant enim antiqui pondera,ex lapidibus quibuſdam nigris,uenis quibuſdam uiridibus obſcuriſſimis commaculatis,quae non niſi madidis lapidibus, & diligẽter intuentibus apparerent, ſilicea duritie, expolitionem ita recipientes, ut intuentium imagines redderent: ex quibus maiora duobus ferreis anulis, ſiue anſis, in ſuperiori parte plumbo ferruminatis, minora uno,ſuſpendebantur decem pondo & infra id pondus plerumque ſine anſa: quorum adhuc maxima copia diuerſarum magnitudinum a centum uſque ad ſelibras, trientes, & quadrantes, Romae inſpiciuntur, licet attrita, & ſine anſis ſaltem legitimis, ita ut rariſſimae ſint illae,ex quibus certum pondus elici poſſit. etſi penes me ſint aliquae,de quibus primo libro dixi: ex quarum una, quam nuper illuſtris Angelus Capranicus mihi dono dedit,(etſi ex ea legitimum pondus percipi non poſſit,cum antiquae anſae fuerint replumbatae, & auulſae, & nouae non legitime ſubſtitutae, quam tamen librarum centum fuiſſe conijcio)clare colligitur, curam & cuſtodiam ponderum ad quaeſtores urbis ex Senatus conſulto pertinuiſſe: quod alibi me legiſſe,non memini: ut illius maſſae inſcriptio declarat, quam cum ſuo ſchemate in calce operis apponendam curaui. Igitur Cato, (ut ad eum redeamus)ne patrem familias multis ponderibus,ſeu ponderum maſſis oneraret, in ea olearia cella centum pondium unum incertum requiſiuit, ideſt tot certa pondera, ut puta maſſam alteram librarum quinque, alteram 10. aliam 20. aliam 25. aliam 40. quae ſummam librarum centum conſtituerent, ut ex his certis ponderibus illud incertum centum pondium, conſtitui poſſet. Certum enim Iuriſc. Paulus, lege certum, de rebus creditis, illud appellari teſtatur,cuius ſpecies,uel quantitas,aut nomine ſuo, aut ea demonſtratione, quae nominis uice fungitur, qualis quantaq.ſit,oſtenditur:ideoq. iſtud centum pondium appellauit incertum Cato,quia per ſe corpus non haberet, ſed ex aliis diuiſis certis ponderibus,re exigente, conſtitui poſſet. putauit enim ille hoc modo uenditori & emptori & in paruo & magno librarum numero conſultum eſſe poſſe, cum amphorae & ſeriae, & uaſa alia, quibus oleum diffuſum conſeruabatur, uix centum pondium excedere poſſent, ea praeſertim ratione retenta, quae ſupra a nobis tradita eſt, iuxta quam amphora, ſi oleo impleretur,librarum ſeptuaginta duarum capax eſſet. Nec aduerſus hanc ſententiam, quod Romanis ſcilicet pondus

dus maius libra non fuerit, quidquam faciunt a Vitruuio tradita lib. 10. c. 21. qui de teſtudinibus tractans ſic ſcripſit: Gubernabant eam homines centum, habentes pondus talentum quattuor millium. Quoniã ibi Vitruuius de Graeca machina loquitur, & ideo Graecum pondus expreſſit, quod tamen continuo declarauit ſubiungens, Quod ſit quadringenta octoginta millia pondo. qua ratione talentum, de quo ipſe, librarum centum uiginti exſtitit, ut infra declaraui. Sicut nec obſtant a Liuio tradita lib. 1. Sueſſamq. Pometiam ui cepit: ubi cum diuendita praeda quadraginta talẽta argenti auriq. recepiſſet, & quae ſequuntur. quoniam non potuit Liuius argenteam aut auream monetam aliam quam Graecã, ibi exprimere: cum conſtet ex Plinio lib. 33. c. 3. cuius uerba paullo poſt referam, argentum Romae poſt annum ab urbe cõdita quingenteſimum octuageſimum quinctum, & aurum poſt argentũ anno ſexageſimo ſecundo, ſignatum fuiſſe. & tamen conſtat, Sueſſam Pometiam circiter annum CCLX. ab urbe condita captam fuiſſe. quo tempore, ut praedixi, nec argentum, nec aurum Romae ſignatum exſtabat: ideoq. Liuius, facta illius temporis recenſens, Graecam monetam expreſſit.

A libra fit Libralis, uti a põdo dipondius, & quae ſequuntur. Plinius lib. 33. c. 3. Libralis unde etiam nunc libella, & dipondius appellabatur aſſis. Idem lib. 15. c. 11. Necnon & quaedam e piris libralia appellata, amplitudinem ſibi ponderis nomine aſſerũt. Et lib. 19. cap. 2. de tuberibus: Excedunt ſaepe magnitudinem mali cotonei, etiam librali pondere.

Fit & ſelibra a libra, quae librae eſt ſemis. Varro de ling. Lat. lib. 4. ſupra relatus: Se ualet dimidium, ut in ſelibra. Columella lib. 12. c. 20. de ſapa & defruto: Ad praedictum autem modum muſti, adijci debent ij odores, nardi folium, iris Illyrica, nardum Gallicum, crocum, palmam, cyperum, ſchoenum. quorum ſingulorum ſelibrae ſatisfacient. Et paullo poſt, Caſiae ſelibram. De qua etiam ſelibra meminit Plinius lib. 18. c. 7. & Liuius ſupra tertio lib. relatus, de Manlio, & farris ſelibra. Quin etiam pluribus ſelibris Graecorum more numerauit Plinius lib. 18. c. 10. de ſimilagine loquẽs his uerbis: Et ſecundarij panis quinas ſelibras, totidem cibarij, & furfurum ſextarios ſex, quinas ſelibras pro libris duabus & ſemis ſcribens. quo dicendi genere uſi ſunt Romani Graecorũ analogiam ſecuti, ut Priſciano in ſuo de ponderibus placuit: unde & ſeſtertiũ,

ideſt tertium ſemis, teſte Varrone de ling.lat.lib.4. formauerunt.
Fit quoque a libra ſeſquilibra, pro libra & ſemis. Columella lib. 12. c.20. Item reſinae terebinthinae ſeſquilibram.

A libra quoq. fit Bilibris, Trilibris, & Quadrilibris, pro eo quod duarum, trium, & quattuor librarũ ſit. inde Martialis quincto epigr. in Ligurium.

Nolo mihi ponas rhombum, mullum ue bilibrem.

Horatius 2. ſerm. ſat. 2.

laudas inſane trilibrem Mullum.

Plautus in Aulul. ſcena ex his, quae exſtant, ultima:
Quadrilibrem aulam auro onuſtam habeo: quis me diuitior?
Et paullo poſt:

quadrilibrem inquam
Aulam, auri plenam. Etſi credam eo in loco Plautum de libra menſurali, non de ponderali intellexiſſe, uerbum quadrilibrẽ ad aulae capacitatem referẽdo, cum auro onuſtam, & auri plenam ſubiunxerit: quod a iunioribus, qui libram menſuralem oſtenderunt primi, animaduerſum non fuiſſe, mirum eſt; cum uiderint, & animaduerterint Plautũ in Mil.actu.3.ſce.2. de aquali bilibra menſurali meminiſſe, dum dixit.

Sed in cella paullum erat loculi lubrici.
Ibi erat bilibris aqualis hic propter cados:
Eaq. ſaepe decies complebatur die.

Libra autem ponderalis haec, de qua loquimur, in uncias duodecim diuiditur, diuiſionumq. ſingularũ ſunt propria nomina: quae etſi primo libro etiam ex Iuriſconſultorum ſententia retulerim, adhuc reſcribere non pigebit: ut & illis, qui librum hunc ſine illo legere uoluerint, conſultum ſit. ſunt autem haec, libra conſtans ex uncijs duodecim: a qua ſi unciam dempſeris, reliquum Deunx appellabitur. hoc ita, quia uncia a libra ſit dempta. ſi duas, reliquum quod eſt unciarum decem, appellabitur Dextans, ideſt dempto ſextante. ſi tres, reliquum quod eſt unciarũ nouem, appellabitur Dodrans, ideo, quod a libra quadrãs, ideſt pars quarta dempta ſit. ſi dempſeris trientem, reliquum quod eſt unciarum octo, Bes appellabitur ab eo dictus, ut Feſto placuit, quod in eo bis triens ſit. Triens enim ideo appellatus, quod tertia ſit librae pars, conſtans ex uncijs quattuor. uel, ut Varroni de ling.Lat.lib.4. placuit, ab eo Bes dictus, quia ab eo triens ſit demptus, cuius uerba paullo poſt referam.

reſeram. Si uero a libra quincuncē dempſeris, reliquum Septunx appellabitur. nam Septuncem, & Quincūcem in ſuis proprijs nominibus & numeris, litteris colliſis, remanſiſſe conſtat. ſi ſex dempſeris, quod remanet, Semis, uel Selibra, ſeu ſex unciae appellantur. ſi ſeptem dempſeris, reliquum erit Quincunx: ſi octo, Triens: ſi nouem, Quadrans: ſi decem, Sextans: ſi undecim, Vncia, quae remanent, appellabuntur. De quibus Varro dicto lib. 4. ſic meminit. Vncia ab uno. Sextans ab eo, quod ſexta pars aſſis, ſicut Quadrans quod quarta: & Triens, tertia pars: Semis, quod ſemias idest dimidium aſſis, ut ſupra dictum eſt, Septunx a ſeptem & uncia colliſum. reliqua obſcuriora, quod ad diminutionem, & ea, quae demuntur, ita ſunt, ut extremas ſyllabas habeant, ut a duodecim una dempta uncia, Deunx, Dextans dempto ſextante, Dodrans dempto quadrante; Bes, ut olim Des, dempto triente. Haec ille. Sed & Voluſius Metianus ſic de libra ſcriptum reliquit. Prima diuiſio ſolidi, quod eſt libra, quod As uocatur, in duas partes dimidias diducitur, pars dimidia ſemis uocatur. ſequens diuiſio ſit in tres tertias partes, pars tertia triēs uocatur. ſequitur diuiſio in quattuor quartas. quarta pars Quadrans uocatur. deinde fit diuiſio in ſex ſextas partes, ſextae partis nomen eſt Sextans. deinde diuiditur in octo octauas, quae Seſcunciae uocantur, item nouem nonas, nona pars uocatur Vncia, duae ſextulae. diuiditur item As in duodecim partes duodecimas, uocantur ſingulae unciae. Haec uelut elementa primae de aſſe diſtributionis aequalitatem ſeruant: ſiquid quibuſdam parum detrahas, uel conferas, fient diſpares. Quare ſi quadranti ſextantem, uel trienti unciam applices, facies quincūcem, qui conſtat ex quinq. uncijs, hoc eſt quinq. duodecimis. ſi ſemiſſi applices duodecimam, uel quincunci ſextantem, uel trienti quadrantem, efficies ſeptuncem, ideſt ſeptem duodecimas. ſi ſeptunci applicueris unciam, uel ſemiſſi ſextantem, uel quincunci quadrantem, uel trienti tantundem, facies beſſem, ideſt duodecimas octo. ſi beſſi applicueris unciam, uel ſeptunci ſextantem, uel ſemiſſi quadrantem, uel quincunci trientem, dodrātem efficies, ideſt nouem duodecimas. ſi dodranti applicueris unciam, uel beſſi ſextantem, uel ſeptunci quadrantem, uel ſemiſſi trientem, uel quincunci tantundem, facies dextantem, hoc eſt decem partes duodecimas. ſi dextanti applicueris unciam, uel dodranti ſextantem, uel beſſi quadrantem, uel ſeptunci trientem, facies deuncem, hoc eſt un-

decim

decim duodecimas. Ex his apparet, in quas partes aequaliter, in quas diſpares diuidatur. Haec ille, pluribus admodum, quam res exigeret. de qua diuiſione Fannius ſic ſcriptum reliquit.

Nunc dicam, ſolidae quae ſit diuiſio librae,
Siue aſſis. nam ſic legum dixere periti.
Ex quo quod ſoli capimus perhibemur habere.
Dicimur aut partis domini pro partibus huius.
Vncia nam librae ſi deeſt, dixere deuncem.
At ſi ſextantem retrahas, erit ille decuncis.
Sed nullum reliquo nomen ſemuncia certum
Dempta dabit. neque enim eſt huius ſeſcuncia triplex.
Dodrantem reliquum uocitant, quadrante retracto.
Cumq. triens deſit, beſſem dixere priores.
Jjdem ſeptuncem, dempto quincunce, uocarunt.
Poſt haec ſemiſſis ſolidi pars maxima fertur.
Nam quae dimidium ſuperat pars eſſe negatur,
Vt docuit tenui ſcribens in puluere Muſa.
Cetera dicta prius. quibus eſt ſemuncia maior.

De ſextante (ut ad auctoritates ſingularũ partium ueniamus) meminit Columella lib. 7. c. 5. de medicinis ouilli pecoris ſic dicens: Humanae ueteris urinae tepefactae trium heminarum inſtar, per ſiniſtram narem corniculo infundere, atq. axungiae ſextantẽ faucibus inſerere. Et lib. 12. c. 22. de pice Allobrogica: Et tunc demũ praedictae picis ſextans & ſemuncia, in ſextarios quinq. & quinquaginta adijcitur. A quo ſextante pondus ſextantarium, quod duarum unciarum eſſet, appellauit Plinius lib. 33. c. 3. Librae autem pōdus immutatum bello Punico primo, cum impenſis reſpublica non ſufficeret, conſtitutumq. ut aſſes ſextantario pondere ferirentur. De quadrante, triente, & quincunce Columella lib. 12. cap. 20. Item Myrrhae quincunx, calami pondo libram, caſiae ſelibram, amomi pondo quadrans, croci quincunx, cripae pampinaceae libram. Et paullo poſt: Ego, ſi humida fuerat uindemia, trientem; ſi ſicca, quadrantem, in binas amphoras miſcere ſolitus ſum. Plinius lib. 18. c. 7. de pondere frumenti: Adijcit Sardum ſelibras, Alexandrinum triens, Africum dodrantes. Haec ille. Sed & quincuncem & trientem ſimul, relicto dodrantis nomine, coniunxit. Columella lib. 12. c. 28. de uini conditurarum generibus. Item odoramenta trita, ideſt irim cribatam, quae ſit inſtar pondo quincuncem,

cuncem,& trientem,ſeni Graeci pondo quincuncem,& trientem, ſchaeni pondo quincuncem. ſed & non minus pro quadrante tres uncias dixit. Idem Columella lib.6. c.6. Ad bouem cruditate laborantem tribus heminis uini,tres unciae pinſiti allij admiſcētur. Et lib.12.cap.ultimo:Piperis albi,ſi ſit,ſin minus,nigri unciae tres. apij ſeminis unciae duae. Quod uolui dixiſſe,ut ſciamus antiquos non ita ſibi legem in his nominibus praeſcripſiſſe, ut uncias numero proferre non liceret. De uncia quoque per ſe meminit Plinius lib.21. cap.19. ſic dicens: Aſſarum iocinerum uitijs ſalutare eſſe traditur, uncia ſumptum in hemina mulſi muſti, Columella dicto lib.12. cap.ultimo: Liguſtici unciam. Ab uncia fit Seſcuncia, quae eſt librae pars octaua, quae eſt uncia & ſemis: de qua etiam Columella lib.12. cap.ult. Laſeris radicis, quod Graeci Silphium uocant,ſeſcuncem: & Celſus in malagmate eutichei lib.17.Galbani ſine ſurculis ſeſcuncia.

Vncia uero ipſa, quae,ut dixi,aſſis pars eſt duodecima,diuiditur primo in duas ſemuncias, ſecundo in tres duellas, ſeu tres binas ſextulas,tertio in quattuor ſicilicos,quarto in ſex ſextulas,quincto in denarios ſeptem, ſexto in uictoriatos quattuordecim, ſeptimo in drachmas octo: etſi drachmam a Graecis mutuati ſimus: octauo in ſcripula XXIV. nono in grana 576. de quibus omnibus ſingulatim tractandum.

Semunciam, dixit Varro ſupra relatus de ling. Lat. lib.4. a Se & unciam appellatam, ut ſemis uncia ſit. de ea meminit Columella lib. 12.c.23.cuius uerba paullo ante retuli. Idem dicto lib.12.cap.ult. Pro ſilphio mellis adijcies pondo ſemunciam.

Duella unciae eſt pars tertia: tres enim ex eis unciam conſtituunt: dicta a duabus coniunctis ſextulis, conſtans ex ſcripulis octo: de qua Fannius.

Sextula cum dupla eſt, ueteres dixere Duellam.

Sicilicus quarta unciae pars eſt, conſtans ex drachmis duabus, ſcripulis uero ſex: de quo idem Fannius.

Drachmam ſi gemines, oderit quem dicier audis.

Sicilicus ab eo dictus, ut Feſto placuit, qui eũ in neutro genere protulit, quod ſemunciã ſecet. cum enim ſemũcia ex quattuor drachmis ſcripulisq. duodecim conſtet, ſemis eiuſdem ſemunciae ſicilicus dictus eſt.De ſicilico meminit Scribonius Largus compoſitione CXLV. per notas tamen, his uerbis. Croci pondo ſicilici

quinque,

quinque, apij pondo ſicilici ſex. Meminit & Plinius, licet ipſe de ſicilico unciae pedalis intellexerit. quarum pedalium unciarum, & harum ponderalium diuiſio in nominibus non differt, lib. 13. c. 15. ſupra primo libro relatus, de cedrina menſa Tiberij principis, Menſam quattuor pedes ſextante & ſicilico excedentem. Meminit & Columella lib. 5. c. 1. Pars quadrageſima octaua pedes ſexcentos, hoc eſt ſicilicus, in quo ſunt ſcripula ſex. Haec ille. in pondere autem alias auctoritates me uidiſſe non memini.

Sextula ſexta eſt unciae pars, ut & uox ſonat, conſtans ex ſcripulis quattuor, qui ſexies multiplicati unciam conſtituunt, de qua Varro de ling. Lat. lib. 4. ſic ſcripſit. Aeris minima pars ſextula, quod ſexta pars ſit unciae. Columella dicto lib. 5. c. 1. de agri uncia loquens: Pars ſeptuageſima ſecunda pedes CCCC. hoc eſt ſextula, in qua ſunt ſcripula quattuor: de qua & Fannius ſic:

Drachmae ſcripuli ſi adiectio fiet,
Sextula, quae fertur: nam ſex his uncia conſtat.

Frontinus de aquaeductibus: Digitus rotundus habet diametri digitum unum, capit quinariae ſeptuncem, ſemunciam, ſextulam.

Denarius ſeptima eſt unciae pars. ſeptem enim ex eis unciam cōſtituunt. qui quidem denarij licet, quantum ad rem nummariam attinet, pondere fuerint imminuti: tamen ex ſeptem ex eis unciam conſtare, clare liquet ex Plinio lib. 33. c. 9. cuius haec ſunt. Miſcuit denario triumuir Antonius ferrum: Miſcuit aeri falſae monetae. Alij e pondere ſubtrahunt, cum ſit iuſtum octuaginta quattuor e libris ſignari. Ex cuius dictis duo clare eliciuntur, unum quod iuſtum pondus denarij ſeptima eſt unciae pars; alterum, quod iam Plinij tempore pondus argenti denarij erat imminutum. quod etiam ex eo probatur: quia cum eiuſdem Plinij tempore monetae, tam aereae, quam aureae, pondere imminutae fuiſſent, neceſſe etiam fuit, argenteas imminutas eſſe. Primum probatur ex Plinio, lib. 33. c. 3. cuius uerba etſi prolixa ſint, & paullulum a propoſita materia me diſtrahant, attamen, ut demonſtrem eos decipi, qui ex antiquis numiſmatibus pondera ſumere & reſtituere poſſe putant, (quod & iuniores belliſſime tradiderunt) adſcribere uiſum fuit. uerba Plinij ſunt haec: Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem deuictum uſus eſt. libralis, unde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur aſſis: quare aeris grauis poena dicta: & adhuc expenſa in rationibus dicuntur,

cuntur, item impendia, & dependere: quin & militum ſtipendiorum, hoc eſt ſtipis pōderandae penſatores, Libripendes dicuntur, qua conſuetudine in his emptionibus, quae mancipij ſunt, etiam nunc libra interponitur. Seruius rex primus ſignauit aes: antea rudi uſos Romae, Remeus tradit. ſignatum eſt nota pecudum, unde & Pecunia appellata. maximus cenſus, CX. millia aſſium fuit illo rege, & ideo haec prima claſſis. Argentum ſignatum eſt anno urbis DLXXXV. Q. Fabio conſule, quinque annis ante primum bellum Punicum, & placuit denarius pro decem libris aeris, quinarius pro quinque, ſeſtertius pro dipondio & ſemiſſe. Librae autem pondus aeris imminutum bello Punico primo, cum impenſis reſpublica non ſufficeret, conſtitutumq. ut aſſes ſextantario pondere ferirentur. ita quinque partes factae lucri, diſſolutumque aes alienum. Nota aeris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera roſtrum nauis, in triente uero & quadrante rates. Quadrans ante triuncius uocatus, a tribus uncijs. Poſtea Hannibale urgente, Q. Fabio Max. dictatore, aſſes unciales facti, placuitq. denarium ſexdecim aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. ita reſp. dimidium lucrata eſt: in militari tamen ſtipendio ſemper denarius pro decem aſſibus datus. Nota argenti fuere bigae, atque quadrigae, & inde bigati, quadrigatiq. dicti: mox lege Papiria ſemunciales aſſes facti. Liuius Druſus in tribunatu plebis octauam partem aeris argento miſcuit. Qui nunc uictoriatus appellatur, lege Clodia percuſſus eſt, ante enim hic nūmus ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur. eſt enim ſignatus uictoria, & inde nomen. Aureus nummus poſt annum LXII. percuſſus eſt, quam argenteus, ita ut ſcripulum ualeret ſeſtertijs uicenis: quod efficit in libras ratione ſeſtertiorum, qui tunc erant, ſeſtertios 5760. Poſt haec placuit, quadraginta ſignari ex auri libris: paullatimq. principes imminuere pondus. minutiſſimus uero ad quadraginta octo. Haec ille. Quibus quidem Plinij uerbis & Plauti, multo ante Plinij tempora, dictum in Caſinae prooemio adſtipulatur.

Nam nunc nouae, quae prodeunt Comoediae
Multo ſunt nequiores, quam nummi noui.

Semper enim in deterius monetae pondus & bonitas, quod & noſtris temporibus. actum eſſe cognoſcimus, prolapſa ſunt. Secundum uero, quod dixi, uſque ad Plinij tempora argentei de-

narij

narij pondus eſſe imminutum & drachmae pondus redactum probatur ex eodem Plinio lib. 21. c. ult. cuius haec ſunt, Drachma Attica (fere enim Attica obſeruatione medici utuntur) denarij argentei habet pondus. Cum enim Plinius argentei denarij, qui tunc in moneta eſſet, per uerba praeſentis temporis meminerit, non quidem de denario, ut eſt pondus, & ſeptima unciae pars, neque ut fuerat ab initio iuſti ponderis intellexit, ſed ut erat tunc ſua aetate argentei denarij pondus, iam ad octauam unciae partem redactum, propter imminutionem a republica & principibus factam; ideoque hodie qui inueniuntur denarij, poſt M. Antonium praeſertim percuſſi, drachmae: & qui ante eum, denarij ponderi reſpondent, quod & re ipſa comperi. pro inde cum drachma pro denario, uel ex contrario in nummis uertitur, aut uerſum legitur, ad tempora animaduertendum cenſeo, quia, ut iam demonſtratum eſt, paullatim ponderis imminutio facta eſt. Redeo igitur ad denarium ponderalem, quem ſeptimam unciae partem ex Plinij ſententia eſſe aſſerui, & dico eiuſdem ponderis fuiſſe, probari quoque ex Celſo lib. 5. c. 17. cuius haec ſunt. Sed & aut ea ſciri uolo, in uncia pondus denariorum ſeptem eſſe, unius deinde denarij pondus a me diuidi in ſex partes, ideſt ſex ſextantes: ut idem in uncia denarij habeam, quod Graeci in eo, quod obolum appellant, id ad noſtra pondera relatum, paullo plus dimidij ſcripuli facit. Haec ille. Sicque in ſuis compoſitionibus poſt denarij notam ſignum quoque adiecit ſuae diuiſionis: exempli gratia lib. 5. c. 19. primo de emplaſtris exedentibus: Reſinae terebinthinae fuliginis, thuris, ſingularum pondo ✶ 2. ideſt pondo denarij ſextans, ſic & trientem & quadrantem poſt denarium poſuit ſic dicens, pondo ✶ triens, & pondo ★ quadrans, pro tertia & quarta denarij parte. Quo ſcribendi genere & ponderum uſu, ut & iuniores atteſtantur, ſolus ipſe inter medicos uſus eſt. Sed nec denarij pondere, praeter ipſum & Scribonium Largum, quo teſte iuniores utuntur, in re medica uſus eſt alius. nam quod Plinius lib. 19. c. 3. his uerbis ſcripſit: Laſerpitium, quod Graeci Silphion uocant, in Cyrenaica prouincia repertum, cuius ſuccum uocant, laſer, magnificum in uſu medicamentisq., & ad pondus argentei denarij penſum: potius demonſtrant, laſeris pondus argenti pari pondere fuiſſe permutatum, quam quod ad pondus denarij ponderalis uenderetur.

Victo-

Victoriatus octauam unciae diuiſionem facit. qui denarij ſemis eſt, dictus etiam quinarius, ut ex Plinio lib. 33. c. 3. colligi licet: qui utriuſq. & nomen & etymologiam exprimit: de quo etiam Voluſius ſic dixit: Victoriatus nunc tantundem ualet, quantum quinarius olim. Et paullo poſt: Denarius primo aſſes decem ualebat, unde & nomen traxit, quinarius dimidium eius, ideſt quinque aſſes, unde & ipſe uocatur. Hactenus ille. Sed haec potius rem nummariam, quam pondera, reſpiciunt. Quinario autem pro pondere, praeter Scribonium Largum, alium uſum fuiſſe non legi, iuniores teſtantur, nec ego memini legiſſe.

Drachma, in qua nona eſt unciae diuiſio, quae octaua unciae pars eſt, quamuis Romanum pondus ab initio non fuerit, tamen ſaepe in translationibus Graecorum Latinorumq. auctorum eo nomine ſcribentes uſi ſunt, maximaq. exinde circa eiuſdem drachmae & denarij pondus quaeſtio exorta eſt: ideoq. de ea, quae legerim, hic tradere opportunum duxi. Quod autem non fuerit Romanum pondus, nemo eſt qui neget, nec de ea Latini ſcriptores Latinas res tractantes meminerunt, nam Cato c. 134. ad diſpepſiam & ſtranguriam, qui drachmae pondere uſus eſt, his uerbis: Incenatum iube eſſe, poſtridie thuris drachmam unam conterito, & mel coctum drachmam unam, & uini ſextarium origaniti, dato ieiuno & puero pro aetate triobolum, & uini heminam. eam medicinam ab aliquo Graeco ſumpſiſſe uidetur, ideoque Graeca pōdera mutare noluit, ſed cum drachma obolum, & paullo ſupra minam bis miſcuit, quae citra controuerſiam Romana pondera non ſunt. ſic & Plinius lib. 21. c. 20. de nardo Gallico: Ergo aduerſus ſerpentes duabus drachmis in uino ſuccurrit quod & ibi ſaepius repetit: & eo. lib. c. 29. de tribus & quattuor drachmis: & lib. 34. c. 12. ubi de unica drachma meminit, abſque dubio de Graecis locutus, ut & ipſe dicto lib. 21. cap. ultimo dilucide teſtatus eſt. Haec igitur drachma, ut dixi, unciae tam Romanae quam Graecae pars eſt octaua. nam unam & eandem Graecis & Romanis unciam fuiſſe, poſtquam uncia in Graecorum uſum tranſiuit, ſatis conſtat cum ex Galeni relatis locis, tum ex Fannio paullo poſt reſcribendo, tum etiam ex alijs ſupra deductis, & infra deducendis.

Quod autem unciae ſit pars octaua probat Fannius, ſic dicens.

Vncia fit drachmis bis quattuor. & paullo poſt:

Accipe praeterea, paruo quam nomine Graij

Mnam

Mnam uocitant, noſtriq. minam dixere priores.
Centum haeſunt drachmae. quod ſi decerpſeris illis
Quattuor, efficies hanc noſtram denique libram.

Si enim nonaginta ſex in duodecim diuiſeris, inuenies octo drachmas, ideſt bis quattuor, ſingulis unciis reſpondere. ſi drachma eſt eadem Romanis & Graecis, ergo & uncia eadem, conſtans ex octo ex eis. quod & ex eo etiam probatur, quia ſcripulum, iuxta Columellae ſupputationem, lib. 5. cap. 1. in libra ſeu aſſe ducenties octuagies octies inuenitur: & tamen conſtat ex eodem Fannio, drachmam ex tribus ſcripulis fieri, dum dicit, in ſcripulis tribus drachma. Si igitur ſex & nonaginta drachmae, ex quibus libram Romanam conſtare dixi, ter numerentur, erunt ſcripula 288. ex quibus Romanum aſſem Columella conſtituit. Et ex his probatum plane uidetur, unciam Romanam ex octo drachmis Graecis conſtare, non minus & drachmam Graecam, Romanae unciae octauam partem eſſe, unciamque eandem Romanis & Graecis fuiſſe: etſi uncia ab initio Romanum nomen & pondus fuerit, quae cum Romano nomine & imperio, ut dixi, ad Graecos tranſiuit. Hoc ipſum teſtatur Dioſcorides in libello de ponderibus his uerbis: Vncia uero drachmas habet octo, ſcripula XXIV. Idem & Galenus lib. *6.* de compoſitione medicament. ſecundum genera, ſic dicens: Iccirco quod ponderalis uncia octo drachmas pendet. Et lib. 5. eiuſdem tituli relato ſupra tertio lib. Etenim nouem unciae Italicae in cornibus interſectis diſcretae, pendent uncias ponderales ſeptem & dimidiam, quae ſexaginta drachmae fiunt ſi uncia una octo drachmas ceperit. Cleopatra libello de munditijs. Libra habet uncias duodecim, drachmas *96.* ſcripu. 288. Vncia habet drach. octo, ſcripu. XXIV. Nec quemquam turbet Pliniana lectio: in qua, transferendis Dioſcoridis locis, dum de plantis & medicinis ex eis tractat, ſaepe libram pro mina uertit: cum tamen, ſecundum praedictam ſupputationem, drachmae quattuor interſint: quia, ut ſupra tertio libro animaduertendū duxi, ſcriptores antiqui, uertentes Graeca pondera in Latina, & ex contrario, raro illius modici exceſſus uel defectus rationem habuerunt, nempe drachmas quattuor in centum. etſi non negem in potionibus, & pharmacis, praeſertim uehementioribus, id multum intereſſe potuiſſe. ſic & Plinius tertiam partem minae, quae eſt drachmae 33. & ſcripuli, ad denarij

pondus

pondus uertens, nouem & uiginti denariorum pondus expreſſit: cum tamen, ex ſupputatione ſupra in denario tradita, tertia minae pars ex denariis uiginti octo, & ſcripulis quattuor, ſiue unciae ſextula conſtet. hoc autem ad uitandam ſcrupuloſam diuiſionem factum fuiſſe, credendum eſt. uerba Plinij ſunt haec. loquitur autem de thure. Etiam nunc tamen inueniuntur guttae, quae tertiam partem minae, hoc eſt uiginti nouem denariorum pondus aequent.

Scripulum ſequitur, in quo eſt penultima unciae Romanorumque ponderum diuiſio, quod eſt, ut dixi, unciae pars XXIV. Contendunt autem iuniores, aut ſcripulum neutro genere, aut certe ſcriptulum, ex Varronis, & Voluſij Metiani ſententia, ſcribi oportere. Mihi autem ſcripulum appellare placuit, ut duritiem ſcriptuli, & differentiam ſcrupuli lapilli, a ſcrupo Feſti auctoritate formati, uitarem, etſi non negem, ſcrupulum quoque a ſcripulo deduci poſſe, littera mutata, ut carnufex, lubens, peſſumus, & ſimilia dicuntur. Credo enim cum Fannio, nomen iſtud, ad ſimilitudinem Graeci nominis gramma, a Romanis formatum fuiſſe: de quo Fannius ipſe ita ſcripſit.

Gramma uocant, ſcripulum noſtri dixere priores.

& paullo poſt.

Vncia fit drachmis bis quattuor: unde putandum
Gramma dicta, quod haec uiginti quattuor in ſe
Vncia habet: tot enim formis uox Graeca notatur,
Horis quod mundus peragit noctemq. diemq.

His igitur rationibus motus, ſcripulum poſt iuniores, qui ſe ita etiam in antiquis libris legiſſe teſtantur, ſcribere uiſum eſt: alius, ut ſibi melius uidebitur, ſcribat. De ſcripulo autem meminit Columella lib. 12. cap. 23. ſic ſcribens. Sat erit eiuſdem picis ſex ſcripula in ſextarios quinque & quadraginta, tum demum miſcere, cum muſtum deferbuerit. Et c. 28. Tum in ſerias ſingulas, quae ſint amphorarum ſeptenum, addito medicamenti pondo unciam, & ſcripula octo gypſi. Plinius lib. 19. cap. 1. de lino byſſino. Proximus byſſino mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaia genito, quaternis denarijs ſcripula eius permutata quondam, ut auri, reperio. Idem lib. 34. c. 8. de nobilitate ex aere. Idemq. in uncias additis auri ſcripulis ſenis, praetenui pyropi bractea igneſcit. Et a ſcripulo ſcripularem differentiam dixit Plinius

lib.33. cap. 8. His coticulis periti, cum e uena, ut lima rapuerint experimentum, protinus dicunt quantum auri ſit in ea, quantum argenti, uel aeris, ſcripulari differentia mirabili ratione non fallente.

Scripulum Graeci & Mauri medici longe poſt Galeni tempora, & paullum ante noſtra, quorum opinionem ſecutus ſum ſupra libro primo, in grana XXIV. partiti ſunt. & haec eſt unciae ultima diuiſio. etſi Neapolitani & Veneti medici diſſentiant. quod ego ita ſentio, non ut ex granis uiginti quattuor, ſicut a natura producuntur, ſcripulum conficiatur, ſed ut ſcripulum, ut eſt unciae pars 24. in grana quattuor & uiginti diuidatur, parteſq. in ſuis bracteolis ex aere, uel orichalco, diſtinctis, ſuiſq. numeris ſignatae habeantur, ita ut in aureorum ponderibus a negotiatoribus retineri uidemus.

Reſtat unum, ut reminiſcamur, quod primo libro a me traditum eſt, unciam, qua hodie Romae utimur, antiqua uncia ſcripulo uno & granis quattuor grauiorem eſſe, quae ſcripulum & grana ex uncia inſtantis temporis formata ſint, & ex conſequenti libram noſtri temporis, antiqua libra ſcripulis noſtri temporis quattuordecim, grauiorem eſſe. Cum autem libellus Logiſtarum Italico ſermone circumferatur, in quo diſcrimina & proportiones ponderum, omnium fere ciuitatum Europae, in quibus emporia fiunt, continentur, ſi ea, quae in ipſo libello continentur, uera ſunt, cum a nobis traditis conferantur, quiſque litterarum non ignarus, paruo negotio ſuae regionis pondera cum antiquis examinare, etſi malueritreſtituere, facile poterit. Et haec, quantum ad Romana utriuſque temporis pondera attinet, dixiſſe ſat ſit. quorum antiquae notae ex Voluſio Meciano, Valerio Probo, Cornelio Celſo, & Scribonio Largo, a iunioribus relatae, hae ſunt.

Ponderum

Ponderum Romanorum notae.

L· Libra.
LL· Dupondium.
S· Semis.
V· Septunx.
Bes.
Dodrans.
Dextans.
Deunx.
Triens.
Quadrans.
Sextans.
Vncia.
Seſcuncia.
Semuncia.
Binae ſextulae, ſiue duella.

Sicilicus.
Sextula.
Denarius.
Scripulum.
V· Victoriatus, ſiue quinarius.
Z· Sextans apud Celſum.
Binae ſextulae apud aliquos.
Seſcuncia apud Scribonium.
Drachmae ſex apud eundem.
Drachma apud medicos noſtrae aetatis.

Graecorum ponderum epitome.

GRAECORVM pondera, antiquorum medicorum praeſertim opera, ita ſunt intricata, ut uix a doctiſſimis periti ſſimiſq. uiris extricari poſſint: cum etiam plurium ciuitatum ſint, ut & de menſuris liquidorum & aridorum dixi. Ego uero, quae ab ijs, qui de illis doctiſſime diſſeruerunt, collegi, breuiſſime tradam. ſunt autem tripartita, in Attica ſcilicet, medica, & Hippoiatrica, ſeu ueterinaria. Attica haec, Talentum paruum, Talentum magnum, Mna, ſiue Mina Attica antiqua, Mina Attica Solonis, Drachma, Obolus, Areola, ſiue Chalcos, Lepta, ſiue Minuta.

Talentum, ſiue Talentum paruum, conſtat ex minis ſexaginta.

Talentum magnum conſtat ex minis octuaginta.

Mina Attica uetus conſtat ex drachmis quinque & ſeptuaginta.

Mina Attica Solonis conſtat ex drachmis centum.

Drachma, quam dixi eandem eſſe Latinis & Graecis, conſtat ex obolis ſex.

Obolus conſtat ex areolis, ſeu chalcis ſex, etſi Plinius lib. 21. cap. ult. ex decem chalcis obolum conſtare dixerit. Vitruuius uero, de quo iuniores non meminerunt, quantum ad nummos attinet, (nam conſtat, haec omnia pondera numiſmatum etiam nomina fuiſſe) obolum in quattuor partes (quas ipſe obolorum quadrantes appellat) apud Graecas ciuitates fuiſſe diuiſum teſtatur, eosq. quadrantes, ab alijs dichalca, ab alijs trichalca appellari, lib. 3, c. 1.

Areolum, ſiue chalcus, conſtat ex ſeptem minutis lepta appellatis, quae non diuiduntur: ex quibus (ſi ſupputatio fiat) apparebit in ſcripulo eſſe lepta quattuor & octoginta, & granum conſtare ex leptis tribus & ſemis. & haec omnia apud Graecos tam in ponderibus quam in numiſmatibus fuiſſe leguntur.

Scripulum quoque apud Athenienſes non tamen in re nummaria fuiſſe legitur, conſtans ex obolis duobus.

Ceratium quoq. legitur, ſiue ſiliqua, quae eſt oboli pars tertia, ſcripuli ſexta, continens in ſe lepta quattuordecim.

Paucae ex multis, quae ad praedicta probandum ueterum auctoritates adducuntur, ſunt hae. Suidas, talentum, Vt ait Diodorus in libro de ponderibus, minarum eſt ſexaginta, mina uero drachmarum centum, drachma obolorum ſex, obolus areolorum ſex, areolum minutorum ſeptem. Cleopatra uero libro de munditiis, cuius uerba in eo qui Galeno de ponderibus inſcribitur, inſerta ſunt: Attica mina uncias habet duodecim & dimidiam, drachmas centum, ſcripula trecenta, Obolos ſexcentos. Fannius.

> Accipe praeterea, quam paruo nomine Graij
> Mnam uocitant, noſtriq. minam dixere priores.
> Centum hae ſunt drachmae. quod ſi decerpſeris illis
> Quattuor, efficies hanc noſtram denique libram:
> Attica quae fiet, ſi quartam dempſeris hinc, mna.

Intelligo autem, Fannium, tam cum dixit Graiam, quam Atticam, de Attica mina intellexiſſe, aut intelligere debuiſſe. conijcio autem ex his, quae in ſequentibus dicam, (quod etiam ex coniectura dictum fuiſſe uolo) apud Athenienſes duas fuiſſe minas, unam drachmarum quinque & ſeptuaginta, & hanc ante Solonis leges, alteram centum & hanc poſt leges & tempora Solonis. Quia conſtat ex ijs etiam, quae Plutarchus in illius uita tradidit, Solonem Athenienſibus menſuras & pondera auxiſſe. Cum autem Fannius aſſerat, minarum Graecarum unam fuiſſe drachmarum L X X V.

alteram

alteram centum, nec ullum aliud incrementum minae aut ponderum appareat, neceſſario quodammodo intelligendum eſt incrementum fuiſſe in mina, ut ipſa a drachmis quinque & ſeptuaginta ad centum aucta fuerit: quia aliud, ut dixi, incrementum non apparet, quod ſciam. Hinc ergo exorta fuiſſe conijcio talenta illa duo, a Seruio, lib. 5. & 9. Aen. in controuerſiam allata, non tamen recte explicata, ut iuniores quoque demonſtrant, paruum, inquam, & magnum, ita differentiae cauſſa appellata. nam praeſuppono, ueritate non laeſa talentum, quod hodie paruum ſeu ſexaginta minarum in Attica fuiſſe dicitur, ab initio minarum exſtitiſſe octoginta, earum ſcilicet, quae ex drachmis L X X V. conſtabant, hucq. ſpectare Fannij carmen paullo ante relatum:

Attica quae fiet, ſi quartam dempſeris hinc, mna. Cum autem mina ad drachmas centum aucta fuit, factum eſt alterum talentum maiorum quidem minarum, numero tamen octoginta, ſicut & primum, illudque primum remanſit minarum auctarum ſexaginta. nam ſi octoginta quinquagies & ſeptuagies numerabis, ſex millia habebis. Quod autem utrumque talentum maius & minus, ideſt unum minarum Atticarũ ſexaginta, alterum octoginta apud Athenienſes fuerit, conſtat aperte, ſi ſententia Suidae & Diodori ſupra relata, & Iulij Pollucis paullo poſt referenda, necnon Fannij, qui teſtantur talentum Atticum fuiſſe minarum ſexaginta, cum Liuij dictis conferatur. is enim referens leges & condiciones pacis a S.P.Q.R. Antiocho datas, ita inquit: Argenti probi Attica talenta X I I. millia dato intra duodecim annos penſionibus aequis talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. ex cuius dictis aperte conſtat, talentum minarum quoque octoginta apud Athenienſes fuiſſe: quod maius, ad illius, quod eſſet minarum ſexaginta, differentiã, appellatum fuiſſe conijcio. ideoq. ſenatum uerba illa, Ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat, appoſuiſſe credendum eſt: quia ſciebat alterũ apud Athenienſes talentum diuerſi & minoris ponderis eſſe: ne dubitari contingeret, de quo actum fuiſſet. De hoc autẽ talento octoginta minarum puto Terẽtium intellexiſſe in Phorm. actu 4. ſce. 3. dum dixit: Si quis daret Talentum magnum: & Virgilium Aen. 5.

Vinaq. & argenti magnum dat ferre talentum. Et rurſum lib. 9.

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta. Nec me mouet, quod ex Plauto in Moſtellaria colligi uideatur, talentum magnum mi-

narum fuiſſe ſexaginta, eo quia ſeruus Tranio actu 3. ſce. 1. interrogatus a Teuropide, quanti illius aedes emiſſet, reſpondeat:
Talentis magnis totidem, quot ego & tu ſumus. de quibus cum iam dixiſſet, ſumpſiſſe foenori a daniſta, & ſoluiſſe, minas quadraginta, paullo poſt ſenex reſiduum pretij ſoluturus, &, quantum uenditori adhuc deberetur, exprimens, ita inquit, Nempe octoginta debentur huic minae. cui ſeruus reſpondens ſubiunxit, Aut nummo amplius. ex quo conſtare uidetur, illa duo magna talenta centum & uiginti minarum fuiſſe: quia mendax & turbulentus ſeruus nihil magis quaerebat, quam ſenem inuoluere: ut illius praecedentia uerba declarant. Quid agam nunc iam?

Niſi in uicinum hunc proximum mendacium,
Eas emiſſe aedes dicam huius filium.
Callidum Hercle audiui eſſe optimum mendacium.

Ideoque ſenem in dinumeratione errantem non admonuit. cum conſtet erraſſe ex praedictis. Talentum quoque Euboicum fuiſſe legitur apud Liuium: quod ego eius ponderis fuiſſe conijcio, cuius Atticum maius, nempe minarum Atticarum octoginta, illarũ inquam, quae ex drachmis centum conſtabant: quod quidem nõ ſolum ex locorum uicinitate exiſtimo, ſed ex Liuij uerbis. is enim lib. 37. condiciones pacis a conſule, Antiochi regis legatis oblatas referens, inquit Europa abſtinete, Aſiaq. omni, quae cis Taurum montem eſt, decedite: pro impenſis deinde in bellum factis quindecim millia talẽtum Euboicorum dabitis, quingenta praeſentia, duo millia & quingenta cum S. P. Q. R. pacem comprobauerit, mille deinde talentum per duodecim annos. Haec autem XII. millia talentum, quae hic Liuius appellat Euboica, illa eadem eſſe exiſtimo, quae ſequenti libro ſenatus, oblatas a conſule pacis condiciones ſecutus, penſionibus aequis intra annos duodecim ſolui imperauit, quae Liuius in eo S. P. Q. R. decreto, ut paullo ante retuli, Attica uocauit: ut facile coniectari liceat, Euboicum, & maius Atticum talentum eiuſdem ponderis fuiſſe. Ceterum intelligo cum Priſciano Caeſarienſi lib. de ponderibus, inter talentum Atticum minarum octoginta & libras Romanas octoginta diſcrimen librarum trium & trientis librae interceſſiſſe: quia ex ijs, quae dixi, conſtat, minam Atticam (intelligo poſtrema) ſemuncia, ſiue drachmis quattuor Romana libra maiorem fuiſſe. ex quo exceſſu in minis octoginta, unciae quadraginta,

idest

ideſt librae tres & triens conſtituuntur. ſed in eo, quod Priſcianus ſubdit, ſenatum decreuiſſe, ut non plus, quam ternae librae, & quaternae unciae ſingulis deſint talentis, in hoc non conſentio, nec Liuius hoc dicit, nec ex decreti uerbis colligitur. ſiquidem decreti uerba excludunt, ne talentum minus ſit pondo octoginta, non autem includunt, ut non maius octoginta pondo talentum eſſet, ſi in talento maius pondus ineſſet. talenta enim Attica, ita ut erant, fuerant imperata. ſed, dubitationis tollendae cauſſa, ut praedixi, adiectum fuit, ne minus pondo octoginta talẽtum eſſet: quia aliud minus ſexaginta minarum erat. Sed &, quae ibi Priſcianus de denarijs ſubiunxit uera non eſſe, ex ſupra relatis facile colligitur, quae a iunioribus quoque improbantur.

Aegyptium quoque Talentum fuiſſe, Plinius lib. 33. c. 3. his uerbis teſtatur. Talentum autem Aegyptium pondo octoginta capere, Varro tradidit. de pluribus quoque talentis meminit Iulius Pollux lib. 9. a Budaeo iunioribusq. relatus, ſic dicens. Hoc utique dicere non intempeſtiuum erit, quod Atticum talentum ſex millia drachmarum ualebat Atticarum, Babylonium uero ſeptẽ millia, Aeginaeum decem millia, Syrium mille & quingentas, ſecundum Atticae drachmae rationem. Meminit & de alio talento Vitruuius ſupra relatus, quod eſſet librarum CXX. lib. 10. c. 21. de machina teſtudinea loquens, his uerbis: Gubernabant eam homines centum, habentem põdus talenti quattuor millium: quod fit CCCCLXXX. pondo, ideſt quadringenta octoginta millia pondo. nam in emendatiſſimo codice, quem in opido Toleto uidiſſe ſe mihi aſſeruit uir doctiſſimus Petrus Ceconus, littera M, ſupra numerum notata inſpicitur, & ſane aliter intelligi non poteſt: cum alioqui talentum illud fuiſſet drach. undecim & ſcripuli ac ſcripuli quincuncis. quod nemo dicet, qui machinae illius magnitudinem intelligat.

Ponderum medicorum epitome.

MINA medica habet uncias ſexdecim: libra habet uncias duodecim, uncia drachmas octo, drachma ſcripula tria, ſcripulum obolos duos, obolus duos ſemiobolos, ſemiobolus ſiliquam unam & dimidiam, ſiliqua grana quattuor. Haec autem probantur ex his. Dioſcorides

libello

libello de ponderibus,de quo ſupra: Mina ſecundum medicorum uſum habet uncias ſexdecim, ideſt drachmas 128. Italica autem uncias 18. hoc eſt libram unam ſemis. drachmas 144. Alexandrina mina habet uncias uiginti, drachmas 160. Cleopatra ubi ſupra: Mina nomen pondus,habet uncias ſexdecim, drach. 128.ſcripula 384. Et paullo poſt. Ptolemaica uncias decem,& octo drach. 144.ſcripu. 432. quo in loco animaduertendum quod Cleopatra appellat Ptolemaicam minam, quam Dioſcorides appellauit Italicam, ſeu eas parificat. Galenus lib. 2. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, in hoc medicamento Heras, manifeſte uidetur uelle, minam eſſe ſexdecim unciarum. niſi enim uoluiſſet hoc, ſextam decimam minae partem non ſcripſiſſet. Hoc in loco animaduertendum duxi, medicos unciam & ſcripulum, a Romanis mutatos eſſe, cum Graeca pondera non ſint, ut ſupra oſtendi.

Hippoiatricorum, ſiue ueterinariorum ponderum epitome.

MINA habet uncias quindecim, libra drachmas nonaginta, uncia drachmas ſeptem & dimidiam, drachma ſcripula tria, denarius ſcripula quattuor, ſcripulum obolos duos. Haec ab ignoto Graeco in dicto libello de ponderibus, qui Galeno inſcribitur, in quo & Graecorum ponderum notae ſunt omnes, quas hic deſcribere libuit.

Mna.
Libra.
Vncia.
Drachma.

Olce idem quod drachma.
Gramma, ſiue ſcripulum.
Obolus.
Diobolus.
Ceratium, ſiue ſiliqua.
Chalcus.

Dolium


hitecti utuntur
ſtremos tempoꝝ crediti
chema quadrãtis æreí
L I M A S S A P L A P I
S C
L LVCRETIVS L F TRICIPITINVS
Q VRB


Schema Dodrantis ærei
Schema libre æreæ
L
XXX
X
D E A R V M A N T I Q V A R

LVCAE PAETI IVRISCONS.

LIBER SEXTVS.

VARIAS LECTIONES CONTINENS.

Declarata & a Plinio defenſa Virgilij carmina:

Humida ſolſtitia, atque hiemes orate ſerenas
Agricolae. hiberno laetiſſima puluere farra.

Ad nobiliſsimum, prudentiſsimumq. uirum Horatium Narum.

QVAESIVISTI a me, optime Nare, quid ſibi Virgilius uoluerit Georgicorum I. dum inquit:

Humida ſolſtitia, atque hiemes orate ſerenas
Agricolae. hiberno laetiſſima puluere farra.

Ego, etſi in ea re non multum mihi tribuam, tamen, ut tibi, cui ob ſummã erga me beneuolentiam multum debeo, & quem ſumme diligo, ſatisfaciam, quid ſentiam, explicabo. ſcio autem te, qui aſtronomiae ſtudia non perfunctorie delibaſti, probe noſſe, ſolſtitiorum duo eſſe tempora, unum iuxta Hipparchi ſententiam, quam hodie ſequuntur aſtronomi, cum ſol primam Capricorni partem attigerit, alterum Cancri. etſi Plinius lib. nat. hiſt. 18. c. 25. iuxta Eudoxi & Metonis ſententiam, in faſtis relatam, ut Columella lib. 9. c. 14. & cum eis Martianus Capell. de nuptijs philolo. lib. 8. in octaua eorum ſignorum parte confici fuerint arbitrati, duodecimq. dies ſingulo ſolſtitio tribui, in quibus ſol ita ſenſim mouetur, ut progredi aut regredi non uideatur. Excludo igitur, Virgilium de aeſtiuis ſolſtitialibus diebus ſenſiſſe:

quia docet nos uſus, & rerum magiſtra experientia, ea tempora ſicciſſima deſiderari, ut optime nouerunt agricolae. pluuiae enim tunc perniencioſiſſimae eſſe dignoſcuntur, tum quia demeſſa frumenta uel in agris iacent, uel in area triturantur, tum quia, ſi pluuiae eo tempore euenerint, gramina ſtatim ſubnaſcuntur, & herbae reuireſcunt, quae uetant ſtipulas & agros comburi: quorum incendium agricolis prodeſſe, idem poeta teſtatur, & fieri mandat his carminibus:

Saepe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque leuem ſtipulam crepitantibus urere flammis.

Cum & tertio, quia ſtatim, poſtquam Virgilius ipſe humida ſolſtitia optari iuſſit, de hieme meminit, quaſi declarare uellet, de quibus ſolſtitialibus diebus intellexerit. Vt igitur de hiemalibus ſolſtitialibus diebus eum ſenſiſſe dicamus, ratio quaerẽda eſt, cur ea ſolſtitia humida hiemesq. ſerenas deſiderãdas praeceperit. Et quidem ſciendum exiſtimo, ſemina eadem, prima ſementi ſata, citius, poſtrema, uel etiam media, ſerius e terra prodire. ideoq. Columella lib. 2. c. 9. prima ſementi rarius, nouiſſima ſpiſſius ſemen ſpargi praecepit: ſiquidem putauit, & recte, ſemen, poſtremo tempore ſatum, ſerius erumpere, ideoq. non paruam eius partem inter naſcendum interire. unde & prouerbij in modum apud oẽs uſurpatum fuit, tempeſtiuam ſementem ſaepe fallere, ſerotinam numquam quin mala ſit. frigus enim & gelicidia ſerius ſata ſemina facile corrumpunt, & erumpere nõ ſinunt, quod proprium eſt temporis & humidi. ideoq. idem Virg. eodem lib. ita praecipit.

Nudus ara, ſere nudus: hiems ignaua colono. Ad demonſtrandum igitur, qualis eſſe deberet feliciſſimus frugibus annus, iuſſit poeta agricolas orare ſolſtitia, ideſt hiemales ſolſtitiales dies humidos. nam ſi humidi, ex neceſſaria quodammodo conſequentia ſine glacie, Africo, Auſtro & Euro flantibus, qui tepidas pluuias nobis adducunt: quo humore & tepore euocata; ſerotina etiam ſemina ex terra facile prodeunt. nam ſicut frigoris adſtringere, & includere, ita teporis aperire, & euocare propriũ eſt. quibus etiã ſerotinis ſeminibus e terra natis, quia hiems continuo poſt ſolſtitia ſequitur, tunc ut ſerotinae & tempeſtiuae ſementi conſulatur, ſerenam eam hiemem optandam praecipit: ex qua ſerenitate, ut re ipſa comperimus, naſcuntur gelicidia terram adſtringẽtia: quibus gelicidijs, a Sole & tepore diurno liquatis, terra, quae glacie

adſtricta

adſtricta fuerat, relaxatur, atq. ita fermentatur, ut ſarrita uideatur: & tandem, iteratis uicibus, humore ſuperficie tenus conſumpto, tellus ipſa in puluerem redditur: ſicq. efficiuntur hiberno laetiſſima puluere farra: unde meſſis uberrima, qualis in Gargaro mõte, ſequetur. Nec me mouet aduerſus hunc Virgilij locum Plinij ſententia, dum lib. 17. cap. 2. inquit: Ergo, qui dixit hiemes ſerenas optandas, non pro arboribus uota fecit, nec per ſolſtitia imbres uitibus conducunt. hiberno quidem puluere laetiores fieri meſſes, luxuriantis ingenij fertilitate dictum eſt. alioqui uota arborum frugum communia ſunt, niues diutinas ſedere. Haec ille. Quibus uerbis Virgilium de tribus redarguiſſe uelle uidetur, primum, quod uotum ipſius arboribus non conueniat: ſecundum, quod optare hiemes ſerenas, fuerit ingenij luxuriantis, cum id ſegetibus non cõueniat: tertium, quod uotum, quod commune eſt arboribus, & ſatis, Virgilius omiſerit, hoc eſt, ex eius quidem ſententia, ut hieme niues ſedeant diutinae. Nam, quod ad primum attinet, certiſſimum eſſe arbitror, Virgilium eo in loco de arboribus non ſenſiſſe, de quibus ſequenti libro ſeorſum a primo tractare uoluiſſe aperte indicant illius carmina in libri principio.

Hactenus aruorum cultus, & ſidera caeli:
Nunc te Bacche canam, necnon ſilueſtria tecum
Virgulta, & prolem tarde creſcentis oliuae.

Vere igitur in hoc Virgilium reprehendi non oportuit: quia de arboribus non ſenſit: etſi uotum ipſius arboribus quoq. cõueniat, ut paullo infra demonſtrabo. Secundum, ſcilicet quod hiems ſerena puluerulenta ſegetibus non conueniat, cum illae niues deſiderent, non minus, quam primũ, iniuſtum eſſe arbitror. nam etſi uerum ſit, quod in ciſalpina Gallia, locisq. montanis plurimum ſegetibus niues hibernae & diutinae ſoleant prodeſſe: nõ tamen Virgilius illis, ſed Romanis & Latium incolentibus ſua praecepta tradere uoluit, ut aperte teſtatur Georgicorũ inſcriptio ad Maecenatem, uirum apud Auguſtum primarium, & Romae degẽtem.

Quid faciat laetas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere Maecenas, ulmisq. adiungere uites
Conueniat, quae cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis.

Quod etiam clarius lib. 2. demonſtrauit, ubi aperuit de qua Italiae parte loqueretur, dum dicit.

Hic uer aſſiduum, atque alienis menſibus aeſtas,
Bis grauidae pecudes, bis pomis utilis arbos.

Quae deſcriptio circumpadanis aut montanis regionibus non conuenit. Et paullo inferius, poſtquam ad totius Italiae laudes digreſſus fuerat, ad Latiũ rediẽs, cuius agricolis praecepta dabat, ait.

Salue magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna uirum: tibi res antiquae laudis & artis
Ingredior, ſanctos auſus recludere fontes,
Aſcraeumq. cano Romana per opida carmen.

Et non multo poſt.

Sin armenta magis ſtudium, uitulosq. tueri,
Aut fetus ouium, aut urentes culta capellas,
Saltus & ſaturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amiſit Mantua campum.

Quibus poſtremis carminibus cum illis aperte loquitur, quibus Tarentina & Mantuana paſcua ſunt longinqua, ut Latium eſſe apparet quod in utriuſq. agri medio conſiſtit. Vt igitur affirmemus, quod negari ſine cauillatione non poteſt, Virgilium de colonis Latij & agri Romani ſenſiſſe, in quo niues uix ſemel in luſtro, & tunc mora unius aut alterius diei, conſpiciuntur: remanet, & in hoc ſecundo Virgilium recte ſerenas hiemes ſatis frugibusq. deſideraſſe, & praeceptum illius non luxuriantis ingenij, ſed recti iudicij exſtitiſſe. Vt interim omittam, quod in Latio, ubi armenta & oues hieme ſub dio, & non ſub tecto continentur, & non arido pabulo, ut in circumpadanis, ſed uirentibus herbis paſcuntur, ſi quis niues in eo uel per quatriduum permanentes deſideraret, quadrupedum, & praecipue boum precaretur interitum: adeo, ut niſi in ſequenti anno peregrini boues compararentur, terra inculta remaneret. Ex quibus tertium quoq. obiectũ diluitur. nam ſi niues in Latio, ubi uer perpetuum ex recitata ſententia eſt, diutinae ſederent, ut ipſe Plinius peroptandum eſſe ſuadere uidetur: arbores, quibus mutatio conſuetudinis non minus, quam hominibus, nocere ſolet, dicente eodem poeta Geor. 2. (loquitur autem de arboribus ex ſeminario transferendi)

Quin etiam caeli regionem in cortice ſignant:
Vt quae quoq. modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, quae terga obuerterit axi.
Reſtituunt. adeo in teneris aſſueſcere multum eſt.

Si diu-

Si diutinae inquam niues in Latio iacerent, ipſae quoq. arbores niue inſolita afflictae interirent. His igitur confutatis, concludendum eſſe arbitror, nil melius nilq. aptius ſegetibus & arboribus optari potuiſſe quam quod Virgilius optauit, Pliniumq. ipſum ſua ipſius ſententia conuinci. is enim poſt locum ſupra citatum ita inquit: Hiemem aquiloniam eſſe, omnibus ſatis utiliſſimum. imbres enim tunc expetendi euidens cauſſa eſt, quoniam arbores fetu exinanitas, & foliorum quoque amiſſione languidas, naturale eſt auide eſurire. cibus autem earum imber. quare tepidam eſſe hiemem, ut, abſumpto partu, arborum ſequatur protinus conceptus, ideſt germinatio, ac deinde alia floreſcendi exinanitio, experimentis creditur. quinimmo, ſi plures ita continuentur anni, etiam ipſae moriuntur arbores: quando nemini dubia poena eſt in fame laborantium. Hactenus Plinius. Qui his uerbis putat hiemem debere eſſe aquiloniam, & humidam, nec non frigidam, quam tamen aquiloniam ſupra oſtendi neceſſario in Latio ſiccam eſſe, cum frigida & pluuioſa tempora in hieme diu in Latio ſimul eſſe non poſſint. & licet Plinius rationem, quare hiemem aquiloniam deſideret, expreſſe non aperiat: tamen ex illius uerbis clare colligitur, dum dicit: quare tepidam eſſe hiemem, ut, abſumpto partu, protinus ſequatur germinatio, & deinde alia floreſcendi exinanitio, inutiliſſimum experimentis creditur. Aquiloniam igitur eam deſiderat, ut frigida ſit, & tepidam damnat, pluuiam autem poſt autumnum neceſſariam putat, ut arbores fetu exinanitae & eſurientes, potu & imbre ſaturentur. ſi igitur eius traditiones uerae ſunt, ut & ueras eſſe arbitror: certe nihil melius, nec aptius etiam, ex eiuſdem Plinij ſententia, arboribus, quae in Latio ſunt, optari potuit, quam ut ſolſtitia, quae inter autumni finem & hiemes initium ſunt, ut alibi demonſtraui, humida eueniant, unde arbores, fructuum partu, & foliorum amiſſione languidae, & exinanitae, imbre & humore ſaturentur. quo quidem humore ſaturatae, ſi hiems Aquilonia (quam, ut dixi, in Latio ſiccam, & ſerenam eſſe, uſu & experientia cognoſcimus) ſubſequatur, arbores ipſae alimentum a praecedentibus imbribus aſſumptum, hiemis frigore coercitae, in ſe egregie concoquunt. eoq. concocto humore grauidae, adueniente uere, partum edunt generoſum. quo alimento & partu tam modulate tamq. aequaliter impertito minime laborare, ſed diu & feliciter uiuere poſſe cre-

dendum eſt. ſicq. Virgilij uotum frugibus & arboribus commune eſſe intelligo. & iniuſte a Plinio, ipſius Plinij ſententia, damnatum fuiſſe defendo. Vale, & me, ut ſoles, ama.

De anni 1569. *qualitate.*

ANnus a Chriſti, ſeruatoris noſtri, natali ſeſquimilleſimus ſexageſimus nonus, mihi difficilior & inclementior uiſus eſt omnibus, quos ab annis quadraginta citra praeteriuerim: ſiquidem ab initio Ianuarij menſis tẽperatus potius quam frigidus fuit, pluuioſus adeo, ut quidam occulti fontes in capite Circi maximi, iuxta molendinum illorum de Conradis exſiſtentes, qui, ut a maioribus acceperam, & obſeruatione uerum eſſe compereram, cum apparent, annonae futuram caritatem, & penuriã deſignãt, nempe quia aquae abundant; pluribus in locis ibi de repente ſcaturiuerint, nec uſq. in futuram hiemem manare deſierint flores amygdalarum; quas nuces plurimas Virgilium appellaſſe crediderim, qui ſe affatim oſtenderunt, humido perierunt omnes, perſica, pruna, cydonia ſpem ſefellerunt. frumenta, & ſata omnia, quae optimam ſpem tota hieme, & maiori parte ueris praebuerant, adeo rubigine & calamitate infeſtata ſunt, ut ſuperiorum annorum frumenta, quae pondere & bonitate praecellebant, ſcutis octo, hornotina uero ſcutis ſeptem, ordeum ſcutis quattuor, auena ſcutis tribus, rublis ſingulis publice & communiter inter mercatores uendita fuerint. licet prouidentia optimi principis Pij Quincti Pontificis max. qui horrea ex collatis a ciuibus nobilem agriculturae artem exercentibus, ac etiam mari terraq. longe inuectis frumentis, conſtituit, & furnarijs, quantum ſat eſſe uideretur, Iulijs quinquagintaquinq. in ſingula rubla admetiri iuberet, panis in plateis & furnis abundanter exſtiterit, ut ſingulis bolonenis unciae octo appenderentur, ita tamen ut extra urbem etiam operarii uinearum abſq. annonae Praefecti licentia, non niſi quantum quiſq. ſibi bolenenis quinq. pararet, extrahere poſſent, adhibitis etiam ea de cauſſa cuſtodibus, (opidanis territorij, qui uix ad duas anni partes frumentum collegerant non parum laborantibus) pyra modica, mala multa, nuces iuglandes, & caſtaneae multae, aeſtas non feruida, ſicca tamen, ut ab initio menſis Martij, uſq. in menſem Octobrem, plu-

uiae,

uiae, exceptis modicis & nocentibus in menſe Maio, deſideratae fuerint. Ficus permodicae, & uitiatae, uini pluribus in Latio deſuit pars tertia, reliquis dimidia, trans Tiberim non ita, ſed aliqui fere ad praeteritorum annorum menſuram collegerunt. Ouorum Octobri & Nouembri menſibus ea raritas, ut quattuor ſingulis Iulijs paſſim emerentur. Olei caritas, & in multis locis penuria. Pueri uirique & mulieres Puſtulis, quas uariolas appellant, cum multorum tum in urbe tum in opidis interitu (nam etiam in hoſpitalibus curabantur) ſummopere laborarunt, ut aliqui eo morbo quattuor, alij quinq. filios deſiderauerint. Septembri menſe Eurus, quem Syrochum appellant, uehemens, ſiccus, & pertimendus. Circa decimum Octobris diem lenis pluuia, quātum ad ſata herbasq. uix ſufficeret, deinde ita lenes, & rarae, ut ad uigeſimum Decembris diem terra etiam culta adhuc infra trium noſtri temporis palmorum ſpatium arida reperiretur. Turdi, palumbes, anates, pauciſſimae. Porci multi, & pingues, quales non ante per decennium. Bruma niuibus, gelicidijs, maximoq. & ingenti frigore abundans exſtitit. poſt brumā pluuiae multae. Et de hoc hactenus.

De anni 1570. *qualitate, deq. erucis, & conuoluulis.*

ANNUS hic ex diametro fere cum praecedēti pugnauit. licet enim fuerit ab initio pluuioſus, uere tamen, aeſtate, & autumno uſque ad Nouembris Kal. ſicciſſimus exſtitit, frumenti, uini, olei, pomorumq. omnium copioſus. Vnum tamen habuit inauditum, quod nec etiam memoriae proditū memini me legiſſe. Beſtiolae quaedam, Romae uulgo Magnacotiae appellatae, ab eo, ut arbitror, quod teneros uitium oculos māducent, (peculiaris uinearum morbus) quas a Latinis Erucas, a Graecis Campas appellatas fuiſſe crediderim, quae ex rore ſole concreto generantur, magnitudine fere ſeminis ſilueſtris foeniculi, piloſae, ſubnigrae, arcuatimq. ſe mouentes, eae beſtiolae in turgentibus uitiū oculis ſe infigunt, eosq. penitus erodunt, ita ut ſpem omnem auferant non ſolum uindemiae inſtantis anni, ſed etiam legitimi inſequentis anni fructuarij. ſole incaleſcente uagantur, & erodunt, nubilo caelo & noctu in-

tra cortices uitium, & foraminula, quae ex ueteri uitium praeciſione apparent, ſe abſcondunt, & iterum ſole incaleſcente ad paſcua redeunt. Has quidem ſolertes agricolae, quo tempore apparere incipiunt, diligenter perquirere, & inuentas (ne dum eas auellere conantur, uitium oculis, in quibus plerumq. infixae reperiuntur, noceant) tenuibus uirgulis, uiſco illitis, colligere conſueuerunt, &, cum abundauerint, uitem inter nouum palmitem & uetus brachium uiſco circumdare, ita illis aſcenſum ad turgentes gemmas per aliquot dies prohibentes. Sed harum, de quibus loquimur, Erucarum tanta hoc anno, praeſertim in quibuſdam Tranſtiberinis partibus, copia fuit, ut nulla humana diligẽtia, nulloque remedio arceri potuerint. non enim uites tantum occupabant, ſed per terram multis in locis prorepentes, formicarum more itinera terebant, ita ut multi deſperato auxilio, uineas deſeruerint, alij uero, qui pertinacius curam adhibere uoluerunt, maxima pecunia impenſa, diligentia fruſtrati, impenſam & operam perdiderunt. eaę namque adultae beſtiolae, quod nuſquam antea a uiuentibus uiſum, uel auditum fuerat, arundines, quibus uites pedantur, aſcenderunt, inq. ſuperiores praeciſos arundinum internodios, una ſupra aliam ſe condentes, & quaſi araneis telis ſe inuoluẽtes, corticem inſtar tenuis membranae ſingulae circa ſe obduxerunt, indeq. immobiles factae, poſt aliquot dies mutata forma, membranula praeroſa, papiliones effecti, coloris partim cineracij & ſubnigri, partim etiam nigri euaſerunt, circumque uitium crura, & proxima uirgulta euolantes, & oua, ut creditur, parientes, extincti ſunt. Rurſusq. ex ouis (ut bombycum exemplo coniectari licet) circa Iunium menſem aliae erucae exortae ſunt, quae folia etiam grandiora uitium repullulantia conſumentes, immaturas uuas, quae pertinaciter a prima generatione ſupererant, umbra ſpoliarunt: rurſumq. ut primae conditae, & in papiliones uerſae & extinctae, tertio circa Septembrem menſem prodierunt, quae denuo ea, quae remanſerant, & renata fuerant, folia erodentes, ita uuas complexae ſunt, licet non laederent, ut etiam auidi uindemiatores ab illarum eſu inuiti abſtinerent: quin etiam, cum ſeparari ab uuis, nõ niſi cum magno negotio poſſent, cum uuis calcatae, uini ſaporem infeſtauerunt. Mirum hoc, &, ut dixi, inauditum omnibus uiſum eſt, mihiq. praecipue, ideoq. perquirendi anſam accepi, numquid & iſtae beſtiolae antiquis cognitae fuiſſent,

&an

& an etiã in uineis, & quibus remedijs ſe aduerſus eas tutari conſueuerint. Et quidem perquirendo inueni Ariſtotelem lib. 5. de animalibus c. 19. ita de eis ſcripſiſſe. Naſcuntur papiliones ex erucis, erucae ex uirentibus folijs, maxime braſſica. primum minus quid milio conſiſtit in folio; mox uermiculi inde contrahuntur; & accreſcunt, tum intra triduum eruculae efformantur, quae auctae motu ceſſant, ſuaq. forma immutantur, appellanturq. tantiſper chryſalides, quaſi aurelias dixeris. duro inte ctae putamine, ſunt ad tactum mobiles, meatibus araneoſis obductae, nõ os, non aliud ex membris, quod conſpicuum ſit, poſſident: longo poſt tempore putamine obrupto, euolant inde animalia pennigera, quae papiliones uocamus. itaque primum, dum erucae ſunt, cibo aluntur, atq. excrementum emittunt: at uero, cum in aurelias dictas tranſierint, nihil uel guſtant, uel excernunt. Et paullo poſt: Quin etiam Superae & Aciae dictae, quibuſdã eiuſmodi alijs generãtur erucis, quae undent ingreſſu. parte enim innitentes priore, cõtrahunt ſeſe, aduehentes poſteriorem, arcuatimq. incedunt. uerum quaeq; orta, ſibi colorem a ſua eruca trahunt. Hactenus Ariſtoteles. unde Plinius ſumpſiſſe uidetur, quod lib. 11. c. 32. ſcriptum reliquit. Multa, inquit, inſecta aliter naſcuntur atq. in primis ex rore. Inſidet hic Raphani folio, primo uere, & ſpiſſatus ſole in magnitudinem milij cogitur: inde porrigitur uermiculus paruus, & triduo mox eruca, quae adiectis diebus accreſcit, immobilis duro cortice. ad tactum tantum mouetur aranei haec eruca, quam chryſalidem appellant: rupto deinde cortice, uolat Papilio. Haec Plinius. Ex quorum collatione locorum colligi licet, id, quod de uirentibus folijs, & maxime braſſica dixit Ariſtoteles, Plinium, omiſſis uirentibus alijs, de raphano prodidiſſe. Item illud, Plinium, dum dicit, ad tactum tantũ mouetur aranei, uel corruptum Ariſtotelis locum habuiſſe, cum id Ariſtoteles nõ dicat, uel aliunde ſumpſiſſe. Haec generatio noſtris Magnacotiis, ut retuli, ad amuſſim conuenit, quam ob rem de identitate, Latinoq. nomine dubitandum non puto, ſi probabimus iſtas eaſdem uineis infenſas fuiſſe: quod quidem paruo negotio demonſtratur ex Palladio de re ruſt. lib. 1. c. 31. dum inquit: Campas fertur euincere, qui fuſticulos allij ſine capitibus per horti omne ſpatium comburens, nidorem locis plurimis excitarit. ſi contra eaſdem uitibus uolueris conſulere, alio trito falces putatoriae feruntur unguendae. Haec ille.

ille. nec dubitandum puto, Erucas & campas idem eſſe, ex Columella lib. 11. c. ult. ad fi. ait enim. Vbi uero apricis regionibus poſt pluuias noxia inceſſerunt animalia, quae a nobis appellantur erucae, Graece autem campae nominantur, uel manu colligi debēt, uel matutinis temporibus frutices olerum concuti. His igitur cognitis, quibus aduerſus eas remediis uterentur antiqui, non ab re putaui quaerere. Et quidem Columella, loquens de ijs, quae oleribus nocent, erucis, poſt proxime relatum locum ita ſubiungit: Id tamen ſuperuacuum eſt facere, ſi ante ſationem, ſemina, uti iam praedixi, ſucco herbae ſedi macerata ſint. nihil enim ſic medicatis nocent erucae. Cui remedio & aliud ſuperſtitioſum ex Democriti ſententia ſubiungit, de quo & Plinius lib. 17. c. 28. Idemq. Plinius lib. 19. c. 10. de eiſdem loquens ita refert. Naporum medicina eſt, ſiliquas una ſeri, ſicut olerum cicer. arcet enim erucas: quo ſi omiſſo iam natae ſint, remediũ abſinthij ſuccus decocti inſperſus, & ſedi, quam aizoum uocant: genus hoc herbae diximus. ſemen olerum ſi ſucco eius madefactum ſeratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradunt, in totum uero nec erucas, ſi palo imponātur in hortis oſſa capitis ex equino genere, feminae dumtaxat. Aduerſus erucas & cancrum fluuiatilem in medio horto ſuſpenſum auxiliari narrant. Sunt qui ſanguineis uirgis tangant ea, quae nolunt his obnoxia eſſe. Hactenus ille. Palladius uero loco ſupra a me citato ita ait: Contra erucas ſemina, quae ſpargenda ſunt, ſemper uiuae ſucco madefiant, uel earum ſanguine. Quod poſtremum Palladij remedium ridiculum puto. cum haec animalia ſanguine careant. male enim ille locum intellexit, unde uertit, ut infra de aliis apparebit. Idem paullo poſt illud quod ſupra de ſuſticulis allij, & de trito allio, uitibus medela, retulit, ita ſubiungit. Naſci quoq. prohibētur, ſi circa arborum uel uitium crura bitumen & ſulphur incendas, uel ſi ablatas de horto uicino campas excoquas aqua, & per horti tui ſpatia uniuerſa diffundas. Et paullo poſt Democritus aſſerit, neq. arboribus, neque ſatis quibuslibet noceri poſſe a quibuſcumq. beſtijs, ſi fluuiatiles cancros plurimos, quos Graeci paguros nominant, non minus quam decem, fictili uaſculo in aqua miſſos tegas, & ſub dio ſtatuas, ut decē diebus ſole uaporentur, poſtea, quaecumq. illaeſa uolueris eſſe, ea aqua perfundas: & octonis diebus peractis hoc repetas, donec ſolide, quae optaueris, adoleſcant. Et nō multo poſt: Campas nonnulli

nulli ficulneo cinere perſequuntur: ſi permanſerint, urina bubula & amurca, aequaliter miſta conferueant, & ubi refrixerint olera omnia, hoc imbre conſperge. Haec ille: quae pro maiori parte ex Conſtantino, ſeu eo, quiſquis ſit, qui ſub Conſtantini quarti Imperatoris nomine de agricultura ſcripſit, lib. 5. c. 48. trāſtuliſſe eum apparet. cum quo tamen non cōcordat in eo, quod Palladius cancrorum conſperſionem octauo die repeti mandat, cum ille alternis diebus fieri praecipiat. Hactenus de erucis dixiſſe ſufficiat; quas Catonis, Columellae, & Plinij temporibus uitibus non nocuiſſe exiſtimo, cum eo tempore arbuſtiuis & iugatis uineis, quae ſe multum a terra extollebant, uterentur, quibus nec hodie nocere ſolent. Verum quoniam poſt illa tempora, inſtar prouincialiū, pedatis & humilibus uitibus uſi ſunt, ut & nos utimur, (nam Palladium inter auctores non multum antiquos connumero) nocuiſſe credendum eſt: ideoq. omiſſa a Catone, Columella, & Plinio remedia, a Palladio aduerſus eas prodita leguntur. ſic & poſteriores de eis meminerunt. nam Petrus Creſcētius, qui de agricultura Italico ſermone ſcripſit, lib. 4. cap. 18. eas manu legendas, pedibusq. conterendas, aut igne comburendas praecepit. Andreas uero Matheolus in Dioſcoridem lib. 3. c. 97. in Tuſcia uiſco illis occurri. Verum antiquis (ne ipſos moleſtia caruiſſe quis putet) harum loco infenſi fuerunt inuoluuli, quos alij conuoluulos, alij uolucra, Palladius uero cantharides appellauit. ea enim beſtiola eſt magnitudine paullo amplior tritici ſemine, longi roſtri, inſtar curculionis, qui frumentum praerodit: aliae uiridis, aliae aurei, aliae caeleſtis, aliae uarij coloris, fulgentes omnes, & lucidae, alas habentes, ut Scarabei, contectas: nocte & matutino tempore uagantur, & roſtro pubeſcentes pampinos & teneras uuas, curculione in caulem infixo, praerodunt. necnon foliorum caules, in quibus ſolis auxilio miris modis, ad aeſtum euitandum, ſe inuoluunt & occultant, unde nomen ſumpſiſſe uidentur ex Plauto in Ciſtellaria, actu 4. ſce. 2. cuius haec ſunt.

La. imitatur nequam beſtiam,
Et damnificam. Ph. ſed quidnam, amabo? La. inuoluulum,
Quae in pampini folio intorta implicat ſe, itidem haec
Intortam orationem exorditur ſibi.

Cum autem animal iſtud hodie quoq. uineis arboratis nocentiſſimum ſit, non ab re eſſe putaui, ſi, de eo quoq. quid ſcriptum inuenerim,

nerim,

nerim, recenſeam. Cato de re ruſt. cap. 102. Conuoluulus in uinea ne fiat, amurcam condito. puram bene facito: in uas ahenum indito cõgios duos: poſtea igni leni coquito, rudicula agitato crebro, uſq. adeo dum fiat tam craſſum, quam mel. poſtea ſumito bituminis tertiarium, & ſulphuris quartarium: conterito in mortario, ſeorſum utrũque, poſtea infriato quamminutiſſime in amurcam caldam, & ſimul radicula miſceto, & denuo coquito ſub dio: nam ſi in teſto coquas, cum bitumen & ſulphur additum eſt, excandeſcet. ubi erit tam craſſum, quam uiſcum, finito refrigeſcat. hoc uitem circum caput & ſub brachia unguito, conuoluulus non naſcetur. Quem Catonis locum ad uerbum fere retulit Plinius dicto lib. 17. c. 28. declarans tertiarium pro tertia parte, quartarium pro quarta. Intellexi ego, eius amurcae, quae ad mellis craſſitudinem coquendo fuerit redacta. Perſequitur Plinius ubi ſupra: Quidam contenti ſunt fumo huius miſturae ſuffire uineas, ſecũdo flatu, continuo triduo. Plerique non minus auxilij & adiumenti arbitrantur in urina, quam Cato in amurca, addita modo aquae pari portione, quoniam per ſe noceat. Pergit idem: Alij uoluocem appellant animal praerodens pubeſcentes uuas. quod ne accidat, falces cum ſint exacutae, fibrina pelle detergunt, atque ita putant, aut ſanguine urſino liniri uolũt poſt putationem eaſdem. Hactenus Plinius. qui haec fere omnia ex Columella libro de arboribus, qui eſt omnium ultimus, c. 15. ſumpſiſſe uidetur, ubi ille ita ſcriptum reliquit. Genus eſt animalis, Volucra appellantur, id fere praerodit teneros adhuc pampinos, & uuas. quod ne fiat, falces, quibus uineam putaueris, peracta putatione ſanguine urſino linito, uel, ſi pellem fibri habueris, in ipſa putatione, quoties falcem acueris, ea pelle aciem detergito, atq. ita pũtare incipito. Et haec Columella. Qua in re animaduertendum cenſeo, quod Plinius uiſus eſt addubitaſſe an Catonis cõuoluulus idem eſſet cum Columellae uolucro, cum de eis ſeparatis nominibus uno eodemq. cap. tractauerit. ſcripſit enim quae in utroq. legerat, non curans an eadem eſſent, uel diuerſa. Ad Palladium redeo, qui ipſas beſtiolas a coloris & formae, ut arbitror, ſimilitudine, Cantharides appellaſſe uidetur. is de his relato loco ſic tradidit. Ne cantharides uitibus noceant in cote, qua falces acuuntur, ipſae ſunt conterendae. Sed Conſtantinus dicto lib. 5. c. 47. unde locũ hunc Palladius ſumpſiſſe uidetur, mandat cantharidas oleo macerari,

eoque

eoq. oleo cotes, quibus falces acuuntur, perungi. De inuoluulis quoq. tractauit e noſtris Caſſaneus, ſatis admodum cõfuſe, & corrupte antiquorum dicta referens, ſuo conſilio ſuper hoc edito, quod eſt omnium primum, ubi quaerit, an animalia uitibus & frugibus nocentia, per ſacros noſtros antiſtites & quomodo execrari debeant. Et haec de his, occaſione ab anni qualitate ſumpta, dixiſſe ſat ſit. Ceterum annus hic hominibus exſtitit ſalubris. in quo anno illud quoq. annotandum, & memoriae tradendum putaui, Romanum populum, quod felix fauſtumq. ſit, ad eum numerum auctum fuiſſe, ut hoc anno a feſto Paſchatis Reſurrectionis Dominicae uſq. ad idem feſtum ſequentis anni 1571. Romae comeſa fuerint uaccae & boues numero duodecies millies & nonaginta, uituli undecies millies & trecenti octuaginta quinque, ueruces quater & uigeties millies quingẽti & nouem, agni bis & quinquagies millies & trecenti quinquagintaquinque, haedi ſemel & quinquagies millies & trecenti, porci octies & decies millies centum & ſeptem, bubalae, temporibus Plinij incognitae, nobis familiares, ducentae quinquaginta, frumenti cribrati & purgati ad molendum rubla centies decies ſepties millies trecenta ſeptuaginta quattuor. ad quem numerum numquam ad hanc diem a ducentis annis citra peruentum eſt. & hic eſt numerus, qui ex profeſſione ad publicanorum notitiam peruenit.

De numero dierum, qui inter dictatoris intercalationem & noſtra tempora intercedunt, & demendi eſſent.

AD EXCELLENTEM PHILOSOPHVM ARTIVMQ. ET MEDICINAE DOCTOREM ALEXANDRVM PETRONIVM.

CVM mihi per Brumam quinctanarium fieri timenti, Alexander optime, pro tua prudentia, & tenuiorem uictum, & otium imperaſſes, meq. ſaepius amanter, ut ſoles, inuiſeres; ac ſermo inter nos de Bruma intercalaribusq. diebus incidiſſet, memini continuo uulgaris ueterisq. aſtronomorum querelae, quam & apud aliquos legeram, & ſaepius a peritis diſſerẽtibus audieram, Solem a Cae-

ſaris

ſaris dictatoris intercalatione citra adeo progreſſum, ut niſi denuo intercaletur, futurum eſſe, ut feſtū natiuitatis ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quod hodie octauo Kal. Ian.celebratur, in uernū tempus differatur. Quamobrem,negotijs uacuus,cupiens rei huius ueritatem,quantum in me eſſet,percipere,ad huius rei cauſſas & rationes indagandas (etſi mihi id extra ollam & repagula eſſe ſcirem: quid enim homini ab ineunte aetate in iure & cauſſis dicendis uerſato, cum aſtronomia commune eſſe poteſt?) ſtudium contuli, & tandem,ut arbitror,inueni, tātum abeſſe,ut quattuordecim,aut undeuiginti dies, ut aliqui memoriae tradiderunt,Sol a dictatoris intercalatione citra progreſſus fuerit,ut potius retrogreſſus, ſeu uerius minus ſit progreſſus: nec illi dies, quibus Sol minus progreſſus eſt, quiq. de medio demendi uidentur, tot eſſe numero,ut praedicant,ſed longe pauciores. Huius rei argumentum ſumebam ex eo, quod uno ore aſtronomi aſſerūt, curſum ſolis habita etiam ratione motus ſphaerae ſtellarum fixarū,eſſe dierum trecentorum ſexaginta quinq. & horarū ſex fere. Io. a ſacrobuſto tract. de ſphaera c.4. Orontius Fineus eodē tract. lib.1.c.5. fere enim dixerunt, quia non integrae ſex horae ſunt, ſed paullo minus. cum autem Caeſar dictator, ope & conſilio Soſigenis,eius rei,ut Plinius refert lib.15.c.28. peritiſſimo, ſublata pontificū intercalandi licentia, quae mirum in modum anni ordinem turbauerat,ut auctor eſt Suetonius in Dictat. c.4.& Alcia. l. cū bis ſexto de uerb. & rerum ſig. quarto quoq. anno unū integrum diem addidiſſet quaſi integrae ſex horae annis ſingulis de curſu Solis ſupereſſent, iſq.eſſet,ut Celſus l.cum bis ſexto,de uerb.& rerum ſig. teſtatur ſexto Kal. Martias, & ita intacte ab inde citra relictum ſit, nulla illius minus,quod eſt ſex horarum,ratione habita:ſecutū eſt, ut ſex plus minusue dierum ſpatio Sol retrogreſſus, ſiue, ut uerius dicam, minus progreſſus ſit, unde tempora anni & ſollemnia conſtituta, progreſſa eſſe uideantur. Horum autem ſex dierū fere numerus hac certa quidē apud me, & ineuitabili ratione deprehenditur.Brumam tempore Columellae,qui paullo poſt tempora Dictatoris non multo ante tempora Plinij floruit, & ipſius quoq. Plinij tempore, qui ſub Veſpaſiano Imp. militauit,& illi ſuū opus inſcripſit, dupliciter, ſi ipſi Columellae & Plinio credimus, ſumptam fuiſſe, ambigi non poteſt, cum ſcilicet Sol in Capricornum tranſitum faciebat, ſecundum Hipparchi ſententiam, & cum Sol

octauam

octauam eiuſdẽ ſigni partem attingebat, iuxta Eudoxi & Metonis opinionem. Verba Columellae ſunt haec lib. 9. c. 14. de apibus. Ab occaſu Vergiliarum ad Brumã, quae fere conficitur circa octauum Kal. Ian. in octaua parte Capricorni, iam recondito melle utuntur examina, eoq. uſq. ad Arcturi exortum ſuſtinentur. Nec me fallit Hipparchi ratio, quae docet, ſolſtitia & aequinoctia non octauis, ſed primis partibus ſignorũ confici. Verum in hac ruris diſciplina ſequor nũc Eudoxi, & Metonis, antiquorumq. faſtos aſtrologorũ, qui ſunt aptati publicis ſacrificijs: quia & notior eſt iſta uetus agricolis concepta opinio. Nec tamen Hipparchi ſubtilitas pinguioribus, ut aiunt, ruſticorum litteris neceſſaria eſt. Et alibi lib. 11. c. 2. Quid quoquo menſe faciundum ſit. XVI. Kal. Ian. Sol in Capricornum tranſitum facit, Brumale ſolſtitium, ut Hipparcho placet. itaque tempeſtatem ſaepe ſignificat. Et paullo poſt: IX. Kal. Ian. Brumale ſolſtitium, ſicut Chaldaei obſeruant. Cui Chaldaeorum opinioni Plinius, qui frequenter Columellae opinioni aduerſatur, adhaerens, lib. 18. c. 25. loquẽs de ſolſtitiis, ſic inquit. Omnesq. eae differẽtiae fiunt in octauis partibus ſignorum Bruma Capricorni, ab VIII. Kal. Ian. fere, aequinoctium uernum Arietis, Solſtitium Cancri, alterumq. aequinoctium librae: qui & ipſi dies raro non aliquos tempeſtatũ ſignificatus habent. Haec ipſi. Ex quorum atteſtationibus facile dignoſcitur, quod ſiue Bruma fieret in prima parte Capricorni, iuxta ſententiam Columellae, & Hipparchi: & ea erat XVI. Kal. Ian. qui eſt decimus ſeptimus Decembris dies. Et tamen hodie inter omnes conſtat, Solem Capricornum ingredi poſt undecimum Decembris diem: & ſic inter illa & noſtra tempora ſex tantum dies plus minus intercedunt: ſiue etiam attẽdamus Chaldaeorum & Plinij rationem, ut ſcilicet Bruma in octaua ſigni parte fieret: cum ipſi aſſeuerẽt eam octauam partem Solem attigiſſe, octauo ſeu nono ſecundum Columellam, octauo ſecundum Plinium Kal. Ianuarijs. ij ſunt XXIIII. & XXV. Decembris dies, tunc: quia hodie, ut ſupputant omnes, octaua pars ſigni a Sole circa decimum nonum eiuſdem menſis diem occupatur. Idem diſcrimen dierum ſex, plus minus, cuilibet ſupputanti apparebit. qui dies ſi de medio tollerentur, ad Dictatoris initium reuerteremur. Verum, quia putauit Columella per Brumam ferro terram uerti non oportere, d. lib. 11. cap. 2. loquitur autem de Bruma ſecundum Hipparchi opinionem, ideſt cum Sol primam

Capricorni partem occupat,ſic inquiens: His diebus,qui religioſius rem ruſticam colunt, niſi ſi uinearum cauſſa paſtines negant debere terram ferro commoueri:quod & ſanxiſſe his numeris uidetur Virgilius de uitium ſatione loquens Geor.2.

Nec tibi tam prudens quiſquam perſuadeat auctor,
Tellurem Borea rigidam ſpirante mouere.
Rura gelu tunc claudit hiems, nec, ſemine iacto,
Concretam patitur radicem affigere terrae.

Quia,inquā,de Bruma iſtud praecepit Columella, nō ab re quaerendum putaui(nam agricultura,ut noſti,plurimū delector)poſtquam principium Brumae cognoui, finem quoq.illius indagare. Et quidem,ut arbitror,hoc noſtro tempore,quo anni mille quingenti ſeptuaginta a Chriſti benedicti ſeruatoris noſtri natali com putantur,Brumam V I. idus Ian.is eſt octauus Ianuarij dies, expleri puto, ex Columella paullo poſt proxime relatum locum. ait enim.Pridie idus Ian.incertus ſtatus caeli. per hos quoq.dies abſtinent terrenis operibus religioſiores agricolae,ita tamen,ut ipſis Kalendis Ian.auſpicandi cauſſa omne genus operis inſtaurent, ceterum differant terrenam molitionem uſq.in idus. Ex cuius uerbis facile intelligitur,Brumam, cuius initium ipſe loco ſupra citato,cum primam Capricorni partem Sol ingrederetur, conſtituerat,qui erat X V I. Kal.Ian.& per quam terram ferro uerti uetauerat, idibus Ian.is eſt decimus tertius Ianuarij dies, finem habere: quo die licentiam uertendi ſolum ferro impertiebatur.a quo quidem tertiodecimo Ianuarij die, ſi ſex illi plus minusue dies, quibus ſolem minus progreſſum fuiſſe dixi, demantur, remanebit, quod paullo ante aſſerui,Brumā ex hac ſupputatione circiter octauam Ian.diem expleri, uel, ſi quis mallet Chaldaeorum ſententiam ſequi, ut in octaua ſigni parte Bruma conficiatur, (quod minus uerum puto) is finis tunc erat circiter uigeſimum ſecundum Ian.diem, nunc autem circa ſextum decimum Ian.diem abſq.dubio fiet. quod & a uulgi inſtantis temporis opinione non abhorret. nam ea, quae a Bruma agricolis peragenda ſuperſunt, quae poſt brumam inchoamus, poſt feſtum beati Antonij, quod decimo ſeptimo Ianuarij die celebratur,uulgo & proſequimur, & auſpicamur. Haec autem tuo iudicio (nam & huius quoque rei peritiſſimum te noui) ſubmitto. Vale, & me, ut ſoles, ama.

LVC AS

LVCAS PAETVS IVRISCONS.

De reſtitutione ductus Aquae Virginis.

PIVS Quartus Medices Pont. Max. cum plurimum aedificijs, publicisq. operibus delectaretur, inter alia, de reſtituendo aquaeductu fontis Virginis, opus a multis citra ſaeculis deſideratum, cogitauit; cumq. de modo, & impenſa tractaret, & quidam Architecti, calculo ſatis obſcure inito, cum in multis ſubterraneis locis ueſtigia ductus non apparerent, & longe aliter progrederetur, quam ipſi deſignaſſent, opus xxiiij. millibus ſcutatis abunde perfici poſſe putaſſent, conſilium tamen iniuiſſent petere xxx. millia, ſperantes, quod ſupra eſſet, eis lucro ceſſurum: ipſi quidem Architecti uerentes id aſſerere, huic oblationi fiendae quendam Antonium Triuiſium Licienſem ſuppoſuerunt, hominem quippe ſatis temerarium, & qui Pſyllorũ more uſus fuiſſet, per uicos, & plateas circuire. Qui, Principe adito, ſocijsq. & magiſtris eluſis, ſuo nomine repromiſit opus xxiiij. millibus perfecturum. Adinuentis interim quibuſdam non minus confidentibus, ne dicam temerarijs fabris murarijs, qui opere inter ſe, deſignatis, diuiſisq. locis, repartito, 18. millibus ſe illud perfecturos repromittebant, oblatis etiam ſponſoribus, quorum nomina Camerae Apoſtolicae, Romanoq. Populo, Triuiſius ſe ceſſurum aſſerebat, ſi fabris ſuo nomine pecuniae numerarentur, demonſtrauitq. ita ſe cum lucro, & tute opus ad finem producere poſſe. Res uiſa eſt Pontifici facilis, ideoque onus pecuniae diuiſit, ut ſcilicet Pontifex ipſe tertiam, tertiam & Clerus, & reliquum Romanus Populus conferret, uoluitque & Pontifex opus hoc per Rom. Pop. animaduerti, ut recte, & ſecundum legem a redemptoribus perficeretur. Et exinde re in concionem deducta, uiſum eſt aliquibus opus expediri non poſſe, cum fontes, qui hodie ſunt in loco nuncupato Salone, crederentur non eſſe illi, qui Aquam Virginem Romae tribuiſſent, ſed illi, qui ad ſalinas iuxta

portam Trigeminam, quae inter Auentinum, & Tiberim erat, aquam ab Appio Craſſo, cui Caeco cognomen fuit, ductam exhibebant, moti cum ex uocis ſignificatione (nam putabãt Salonem a Salinis, ubi aqua terminabatur, corrupte dici) tum etiam ex dictis Iulij Frontini, qui ſatis aperte teſtatur, Appiam aquam concipi agro Lucullano, inter milliarium ſeptimum, & octauum diuerticulo ſiniſtrorſum paſſuum ſeptingẽtorum octuaginta, cuius etiã ductus ueſtigia adhuc hodie ſupra portam Capenam inſpiciũtur. Cum idem de Virgine loquens, eam concipi uia Collatia, ad milliarium octauum teſtetur. Quem Frontini locum, Cardinalis Triuultius teſtimonio comprobaſſe uidebatur, qui eo Salonis loco pulcherrimam uillam, & fundum inſtruxerat, & conſtruxerat, & aquam illarum fontium Appiam eſſe ſupra aedes inſcripſerat. inde mihi, neſcio qua re, demandata cura, ut fontes, & loca diligenter inſpicerem, & in Senatu referrem. loco igitur fontium in primis diligenter inſpecto, cui uerba illa Frontini de aqua Virgine conueniunt, cum de ea loquens, ita inquit: Concipitur ergo uia Collatia ad milliarium octauũ, paluſtribus locis, ſignino circumiecto, continendarum ſcaturiginum cauſſa: collatoq. Plinij loco lib.31. c.3. qui de Agrippa loquens, ita inquit: Idem & Virginem duxit ab octaui lapidis diuerticulo duorum millium paſſuũ Praeneſtina uia: iuxta eſt Herculaneus riuus, quem refugiens, Virginis nomen obtinuit: ac etiam inſpecto opere arcuato, & ſubſtructionibus, quae Virgini a Frontino attribuuntur, audacter retuli, etſi ſubterranei ſpecus quibuſdam in locis non apparerent, Virginem eſſe, & reduci poſſe. Et exinde electi uiri nobiles Marius Frangipanius, Populi Romani Cancellarius, Rutilius Alberinus, & Horatius Narus, qui mecum onus ſubirent, & omnes una curaremus, ut opus recte, & ſine fraude, ac quam citiſſime perficeretur; interimq. pecuniae collatae Triuiſio illi, & fabris murariis diſtributae, opus, praeſidente operi Illuſt. Gabrio Sorbellono, Pij iiij. ex ſorore nepote, auſpicatum eſt, uix tamen coeptum, tot inter Triuiſium redemptorem, & fabros ſubredẽptores diſcordiae, & lites exortae ſunt, ut tãdem uiſum ſit nobis concurrente etiam Reuer. & Illuſtr. Ioan. Antonio Sorbellono Cardinali ſancti Georgij, & Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Benedicto Cardinali Lomellino, tunc Camerae Apoſtolicae Clerico, Pontifici referre, opus ad finem perduci non poſſe, niſi ab eo Triuiſius arceretur. Id Pontifex

renuit,

renuit, praetextu quod aequum eſſet, Triuiſium operis auctorem, illius debere eſſe perſectorem, tantum per nos animaduerti, ut opus cito proſequeretur, & recte. Triuiſio igitur opus intricare proſequente, mortuus eſt Pontifex, creatusque eſt Pius V. Ghiſilerius Pontifex optimus, qui etſi animarum ſaluti conſulens, ad morum prolapſorum correctionem, & ad bene, beateq. uiuendi inſtitutionem, ſummo ſtudio, totisq. uiribus intenderet, publica tamen opera non negligens, huius ductus proſequendi curã Reuerendiſs. & Illuſtr. Ioãni Riccio Cardinali Politiano praecipuam demandauit, qui (cũ interim Triuiſius ille miſere admodum diem ſuum obijſſet) reintegrato negotio, uocatis compluribus Architectis, cognito quod fere dimidium operis peragẽdum ſupererat, & quod alia decem millia perfectioni ſufficere crederentur, cum illa uiginti quattuor millia, & plura a Triuiſio conſumpta fuiſſent, re ad Populum relata, alia decem ex uini uectigali redigenda, huic operi a S. P. Q. R. applicata ſunt, cum quibus opus curantibus Naro, & me Luca Paeto, adhibitis Iacobo a Porta, & Bartholomaeo Gripto Architectis, qui opus iuxta legem conuentionis a redemptoribus exigerent, perfectum eſt; correctis quibuſdam, quae ab antiquis animaduerſa non fuerant. Primum quia aqua fontium, qui tres ſunt, cum acquiſitionibus, quae intra ductum oriuntur, uiſa eſt ſatis, ſuperque eſſe aquaeductui, & formae praeſertim in ductu arcuato, Herculaneum riuum, qui uere loco paluſtri, & ima in ualle ultra ſontes conſurgit, reijciendum putauimus, & adiacentibus agris, & praediis relinquendum: & cum exinde ductus aquae ſubſtructione, per mediam uallem paluſtrem, longo circuitu ad montis radices, ubi ſubterranea forma initium capit, peruenit, uſibreuiore uia, perfoſſo monte, duriſſimi Tofi, Scabri, qui inter primã fontem, & duas alias interſurgit, & ubi turris aſſurgit, quo in loco forſan Virginis aedicula fuit, de qua meminit Frontinus, recta fere uia, iam non amplius per loca paluſtria, ſed per montis radices, fontes coniunximus, & ad ſpecum antiqui ductus perduximus. quo factum fuit, ut, ubi antea aquae pluuiales, a mõtibus deſcendentes parietibus ſubſtructionis inhaerentes, ipſos parietes, non ſine aquae detrimento corrumpebant; hodie cum iuxta radices montium riuo ſubterraneo perducatur, aqua pluuia ad ima ſupra ductũ prolabatur: ſicq. incorruptam aquam, & illaeſum ductũ

longo aeuo putauimus conſeruari poſſe, in ea etiam ſubterranea ſpecu, nouoq. ductu conficiendis, uenae multae eiuſdem bonitatis. cuius & fontes, acquiſitae ſunt, ita ut riuus Herculaneus amplius a ductu, inarcuato opere capi non potuiſſet, conſtrui etiam curauimus in initio montis, de quo ſupra, feneſtram emiſſariam, ut ſi quando in ductu, (ut ſaepe cōtingit) uitium fieret, aqua paruo negotio auerti poſſet, & ductus emendari: quod non ſolum ibi, ſed etiam in initio eius ſubſtructionis, quae eſt in loco, ubi nunc dicitur Bucca leonis: qui locus etſi Frontini tempore totus ſubſtructionis eſſet, ut etiam hodie ueſtigia demonſtrant, per nos tamen etiam arcuato opere eſt reſtitutus, ut pluuiales aquae, & ſcaturigines quaedam, quae ibi ſunt, facile ſubterlabi poſſint. ſed & alterum, & tertium emiſſarium in initio operis arcuati, iuxta Anienem a ſiniſtris confici fecimus: ex quibus paruo negotio, repagulis demptis, ductus omnis purgari poterit, & in continenti reſtitui. cumque aquae Crabrae pars, quam nunc Maranellam appellant, quae per ima agri Nobilium de Ruſticis pertranſit, non nihil antea aquaeductui nocuiſſet, nos ponte ſupra aquaeductum facto, eoq. ſtratis ſilicibus munito, per eum illaeſo ductu, eam aquam Crabram, & pluuiales tranſmittendas curauimus, alio etiam ibi ſupra ductum ponticulo conſtructo, & ſtrato; per quem fontes quidam, qui in ea ualle conſurgunt, unde Appiam aquam Romae ductam fuiſſe facile comprobare poſſem, ſine ductus laeſione, aut aquae uitio commode pertranſeant. rurſus etiā quia re ipſa compertum fuit, opus arcuatum pluries fuiſſe emendatum, eo quia parietes, qui aquam ſupra fornices, ſeu arcus continebant, tenuiores, quam res deſiderabat, facti fuerāt, nempe craſſitudinis ſeſquipedalis, ſiue duorum palmorum noſtri temporis: quo fiebat, ut illis, pondus aquae pandere conantis, ſuſtinere nequeuntibus, ductus uitiaretur: ideoq. illi primo parieti, & alterum eiuſdem craſſitudinis adiunxerant, qui cum priore nō conueniens (nam in parietibus nouum cum ueteri non conuenit) maius uitium fecerat, internaſcentibus caprificis, ederis, terebinto, rubis, & alijs arboribus & fruticibus parietes corrumpentibus. Nos igitur deſtructa parte omni ſuperiori uſque ad imas fornices, parietes hinc & hinc craſſitudinis palmorū quattuor, cruſta intrinſecus coctis laterib⁹ fieri curauimus: opusq. pilis cemētiis, hinc, & hinc diſtātes interſe palmos plus minus lx. muniri fecim⁹: & ut ſtabilius

pilis

bilius

bilius eſſet opus, & ne parietes aquam continentes, aquae & fornicum ſuperimpoſitarum pōdere panderentur, inter quaſq. pilas catenas ex lapide Tiburtino annecti curauimus. inſuperq.cum in reperiendis puteis, unde ductus purgari poſſet, multum, & diu per nos laboratum fuiſſet, nempe quia ſubterraneus ductus, nullis tunc ſupra terram ueſtigijs apparentibus modo hinc, modo illinc nulla ratione ſe uertit, iuſſimus aliquot angulares puteos, ſupra terram altitudine palmorum decem extolli, & confornicari, paruo foramine in ſummitate relicto, unde aquae ſpiritus exalare poſſit, reliquos uero per palmos quattuor infra terram fornice muniri, & operiri curauimus, ſicq. ductus, Deo Optimo Maximo adiuuante, reſtitutus eſt, aquaq. ad Triuij fiſtulas X V I I. Kal. Septembris, anno a ſeruatoris noſtri natali ſeſquimilleſimo ſeptuageſimo magna omnium laetitia perducta eſt: tripliciq. ibi emiſſario (uſq. dum in fontes per Vrbem diſpenſetur) per Cloacam, inibi data opera nuper exſtructam, in Tiberim, ne Ciuitati noceret tranſmiſſa eſt. non tamen prius perducta eſt, quam Optimus Princeps de eius bonitate a peritiſſimis medicis, per quos omne experimentum fieri iuſſit, certior factus fuiſſet. decreuerat enim Sanctiſſimus Pontifex potius omne impenſum amitti debere, quam aquam ducere; ſi, ut quidam illi falſo ſuggeſſerant, corporibus ſaluberrima non eſſet. Libet hoc in loco, ut error omnis ex mente titubantium excutiatur, & plena huius aquaeductus, & unde nomen Virginis aſſumpſerit, & quo itinere ad Vrbem perueniat, & unde acquiſitiones illi accedant, notitia habeatur loca Plinij & Frontini, de Aqua Virgine loquentium, recenſere, & quae ego uidi, referre, ut ulterius haeſitationi locus non relinquatur. uerba Frontini ſunt haec:(loquitur autem de Marco Agrippa, qui anno ab urbe condita, ut ipſe paullo ante dixerat, ſeptingenteſimo decimo nono, Imp. Caeſ. Aug. & M. Laelio Volcatio Coss. aquam Iuliam duxerat) Idem, inqnit, cum iam tertium Conſul fuiſſet, C. Sentio Sp. Lucretio Coss. poſt annum xiij. quam Iuliam deduxerat, Virginem in agro quoque Lucullano collectam Romam perduxit. Dies quo primum in Vrbem reſponderit V. iduum Iunij inuenitur, Virgo appellata, quod quaerentibus aquam militibus, puella uirguncula quaſdam uenas monſtrauit, quas ſecuti, qui foderant, ingentem aquae modum inuenerunt: aedicula fonti appoſita, hanc Virginem pictura oſtendit. Concipitur ergo uia Col-

latia ad milliarium octauum, paluſtribus locis, ſignino circumiecto continendarum ſcaturiginum cauſſa, adiuuatus ex compluribus acquiſitionibus. uenit per longitudinem paſſuum xiiij. millium centum quinq. ex eo riuo ſubterraneo paſſuum xj. millium octingentorum ſexaginta quinque, ſupra terram, per paſſus mille ducentos quadraginta, ex eo ſubſtructione riuorum locis compluribus paſſuum quingentorum quadraginta opere arcuato paſſuum ſeptingentorum, acquiſitionum ductus riui ſubterranei efficiunt paſſus mille quadringentos quinq. Haec ille. Ex his manifeſte dignoſcitur, Agrippam primum huius aquae inuentorem, & ductorem fuiſſe. quod & teſtatur Plinius lib. 31. c. 3. qui ante Frontini tempora uiguit. is enim tempore Veſpaſiani, ille uero Neruae ſcripſerunt. ait enim Plinius de Agrippa loquens, ut & ſupra retuli, idem & Virginem adduxit, ab octaui lapidis diuerticulo duum millium paſſuum, Praeneſtina Via. iuxta eſt Herculaneus riuus, quem refugiens Virginis nomen obtinuit. Haec ille, qui & de ea iterum lib. 36. c. 15. meminit, in diſtantia ab Vrbe (ut uides lector candide) conueniunt. ambo enim ab octauo lapide teſtantur, nec in uia diſcrepant, quamuis Frontinus teſtetur de Via Collatia, Plinius de Praeneſtina, quia Plinius non in uia, ſed diuerticulo a uia duum millium paſſuum, ut res ipſa etiam hodie indicat, aſſerit. Via autem alia, quae hodie iuxta fontes pertranſit, & ad uicina praedia ducit, Collatiam appellatam fuiſſe crediderim, uſq. dum de alia conſtet: ſicq. & in loco conueniunt: de nominis origine, ſiue unde Virginis nomen aſſumpſerit, aperte diſcrepant. in quo ego magis Frontino, qui de his principaliter tractauit, cura ſibi ab Imperatore iniuncta, quam Plinio, qui perfunctorie, & incidenter de ea locutus eſt, aſſentio; ceteri credent, quod eis magis arridet. Nunc, quae uidi, referam. Ductus ſubterranei, de quibus meminit Frontinus, incipiunt ad radices montis, ubi aqua primum ex loco paluſtri, & ſubſtructione egrediens ſpecum ingreditur, & exinde recta fere linea, continuatis per totum aquaeductum puteis, interuallo a Vitruuio lib. 8. c. 7. praefinito, nempe ut intra duos actus inuicem diſtet. quod ſpatium eſt palmorum noſtri temporis CCCXII. nec ullus eam metã egreditur, peruenit iuxta praedium, quod eſt in agro Nobilium de Ruſticis, ubi facto angulo diſcedit ad ima, quo in loco, ideſt in ima ualle ſummitas aquaeductus ſolo fere aequalis eſt. Hoc in loco inuenimus

uenimus

uenimus antiquos ſupra plumbi laminam extenſam propter loc; inſtabilitatem ductus fundamenta ieciſſe, & ſuperaedificaſſe. Ab hoc loco ſubterraneo riuo continuato ad alteram uallem in agro Nobilium de Caſſalibus peruenit,ubi nunc dicitur Bucca leonis, eo quia a triginta annis citra fonticulo cuidam inibi non longe ab aquaeductu exorienti, marmoreũ caput Leonis, ex cuius ore aqua proflueret, & commode hauriretur,ab agri domino appoſitũ fuit; quod marmor nos aquaeductui inſeruimus, ut inde aqua profluens in uicinorum praediorum commodum hauriri poſſit; quo in loco ſubſtructione, & modico opere arcuato per nos,ut dixi, facto, eam uallem pertranſit, indeq. continuato ſubtus proximum montem riuo ſubterraneo, ad proximam uallem agri Monachorum Sancti Paulli peruenit. unde longa ſubſtructione ad alterum proximum montem perducitur, & inde rurſus ſubterraneo ſpecu, a dextris progrediendo, non modico itinere uiam Tiburtinam interſecat, rurſusq. a ſiniſtris, iterumq. a dextris progrediendo, iuxta Anienem ſe oſtendit. unde opere arcuato ad alium proximum montem,& inde per ſpecum riuo ſubterraneo uia Nomentana interſecata, ad aliam proximam uallem, & inde alio arcuato opere ad proximum montem, & exinde, Salaria uia pariter interſecata, per collem hortulorum ſubtus amoeniſſimum uiridarium, ampliſſimumq. aedificium Reuerendiſſimi, & Illuſtriſſimi Cardinalis Politiani, intra Vrbem perducitur. quo in uiridario iuxta puteũ aquaeductus hinc,& hinc lapidibus Tiburtinis,Cippi ſeu Termini formam habentibus, inſcriptiones iſtae inuẽtae ſunt.

VIRG	VIRG
TI.CAESAR.AVG	TI.CLAVDIVS
PONTIF.MAXIM	DRVSI.F.CAESAR
COS.V.IMP.VIII	AVG.GERMANICVS
I	PONTIFEX.MAXIMVS
	TRIBVNIC.POTESTAT.IIII
P CCXL	COS.III.IMP.VIII.P.P
	I P CCXL

Haecque, ut dixi, aquaeductus uia eſt longitudinis a Frontino deſcriptae: nempe paſſuum xiiij. millium. Acquiſitiones quoq. de quibus Frontinus meminit, perquiſiui. nam fere omnes huius ductus ſubterraneas partes, partim equeſter, ubi multa aqua non erat, partim pedeſter, ubi ſicco pede ambulare licuit, partim uero

nauicula, ad id accommodata, ab hominibus tracta, ubi riuus nauigabilis fuit, diligenter inſpexi, inueniq. in initio montis, quem primum fontes ſubeunt, non longe ab ingreſſu, hinc & hinc ductus acquiſitionum factos fuiſſe, latitudine palmorum fere decem, altitudine palmorum nouem, cuius longitudinem inueſtigare non ualui, cum limo ad altitudinem palmorum quinque repleti eſſent, ex quibus hinc, & hinc aqua in aquaeductum profluebat, non tamen multa, & ab his non longe quattuor alij cuniculi, duo hinc, duo illinc, contra inuicē ex diametro, latitudine palmorum circiter trium ſinguli, altitudinis palmorum ſeptem fere, ex quibus etiam aqua, licet modica, in ductum profluit, de quibus arbitror ſenſiſſe Frontinum dum ait: Acquiſitionum ductus ſubterranei efficiunt paſſus mille quingentos quinq. ſed in monte, quem dixi extare inter uallem agri de Ruſticis, & agrum Buccae leonis nuncupatum, longe maiores, quam alibi, acquiſitiones inueni, non quidem ductas per cuniculos, aut ſpecus, ſed in ipſius aquaeductus lateribus hinc & hinc paſſim ſcaturientes, ut fere ex illis quincta pars totius aquae, quae ad urbem ducitur, efficiatur: & tandem in toto ductu, duobus montibus exceptis, uno uidelicet, unde aqua in maius arcuatum deducitur, & altero, a quo aqua a dicto opere arcuato exiens recipitur, & in aliud opus arcuatum traijcitur, in quibus ne gutta quidem aquae ſcaturit, acquiſitiones quamplurimae exoriuntur, quibus acquiſitionibus fontes adiuti optimam aquae copiam in Vrbem ferunt. Initio igitur, & ſtatu ipſius aquaeductus cognito, remanet, ut recenſeam, quoties inueni aquaeductum hunc corruptum fuiſſe, & reſtitutum. Et quidem opus arcuatum deſtructum fuiſſe a C. Caeſare, & a Ti. Claudio reſtitutum, monumentum, quod ad radices Pincij montis, in hortis tunc Angeli Colotij in ipſo aquaeductu conſpicitur, aperte demonſtrat: cuius hanc fuiſſe inſcriptionem, Andreas Fuluius, de aqua Virgine loquens, uir ſane doctus, & rerum antiquarum peritiſſimus, teſtatur, & nos legimus.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. P. P. COS. DESIG. IIII.
ARCVS. DVCTVS. AQVAE. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER. C. CAESAREM
A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC RESTITVIT.

Deinde

Deinde a Longobardis aquaeductum ~~directum~~ dirutum crediderim. nam Hadrianus primus patria Romanus, Pontifex Maximus, domitis iam afflictisq. Longobardis, anno a Chriſti Seruatoris noſtri Natali circiter DCCLXXVI. ut Platina refert, Virginis aquaeductum, cum alijs urbis aquaeductibus reſtituit, quem non multo poſt dirutum, in tanta rerum, quae ſucceſſit, calamitate credendum eſt, nec ulterius reſtitutum fuiſſe, inueni. nam quod legitur in inſcriptione, quae ad publicas Triuij fiſtulas appoſita eſt, Nicolaum quinctum Aquaeductum Virginis reſtituiſſe, id a uia Salaria citra factum fuiſſe intelligo, unde acquiſitiones, & ſcaturigines, quae ad noſtra uſq. tempora fluxerunt, initium ſumunt. Nam ſi Nicolaus opus arcuatum reſtituiſſet, ductumq. purgaſſet, non ita, ut a nobis inuentum eſt (uix annorum centum ſpatio intercedente) nullis urbis obſidionibus intermedijs, quantauis hominum negligentia dirui, & aboleri potuiſſet. Hactenus de his.

Viri Illuſtriſſimi carmina.

Virgineos olim Caeſar Frontinus Agrippa
Aduexit, ſcripſit, reſtituit latices.
Haec eadem noſtro miramur tempore. Quartus
Quas Pius ex magna parte reduxit aquas,
Perficit & uena ſecundat diuite Quinctus,
Aeternam Paetus digerit Hiſtoriam.

QVinctus Rhemnius Fannius Palaemon, cuius haec ſunt carmina, quorum etiam finis deſideratur, temporibus Claudij & Neronis imperatorum floruit, ex his quae Plinius lib. 14. cap. 4. tradidit, de induſtria Acilij Stheleni e plebe libertina in uineis inſtruendis & colendis tractans: ubi ita inquit: Sed maxima eiuſdem Stheleni opera Rhemnio Palaemoni, alias grammatica arte celebri, in hiſce XX. annis mercatorus DC. nummum: & quae ſequuntur. De quo Crinitus quoque de Poetis Illuſtribus in uita Lucani, quantum ad rem attinet, ſic ſcripſit: M. Annaeus Lucanus, natione Hiſpanus, patria Cordubenſis, C. Caeſare Germanico iterum, & L. Caeſiano conſulibus natus, delatus ad urbem prima infantia, adoleſcens factus illuſtres habuit praeceptores in literis Rhemnium Palaemonem, qui principem locum inter omnes grammaticos tenuit.

Q. RHEMNII FANNII PALAEMONIS

De ponderibus, & menſuris carmina.

POndera Paeonijs ueterum memorata libellis
Noſſe iuuat: pondus rebus natura locauit
Corporeis. Elementa ſuum regit omnia pondus.
Pondere terra manet: uacuus quoque ponderis aether
Indefeſſa rapit uoluentis ſidera mundi.
Ordiar a minimis, poſt haec maiora ſequentur.
Nam maius nihil eſt aliud, quam multa minuta.
Semioboli duplum eſt obolus, quem pondere duplo
Gramma uocant, ſcripulum noſtri dixere priores.
Semina ſex alij ſiliquis latitantia curuis
Attribuunt ſcripulo, lentes ueraciter octo,
Aut totidem ſpeltas, numerant, triſteſue lupinos
Bis duo. ſed ſi par generatim his pondus ineſſet,
Seruarent eadem diuerſae pondera gentes:
Nunc uariant. Etenim cuncta non foedere certo
Naturae, ſed lege ualent, hominumq. repertis.
In ſcripulis ternis drachmam quo pondere doctis
Argenti facilis ſignatur pondus Athenis:
Holceq. a drachma non re, ſed nomine differt.
Drachmam ſi gemines, aderit, quem dicier audis.
Sicilicus. Drachmae ſcripuli ſi adiectio fiet,
Sextula quae fertur: nam ſex his uncia conſtat.
Sextula cum dupla eſt, ueteres dixere duellam.
Vncia fit drachmis bis quattuor: unde putandum,
Grammata dicta: quod haec uigintiquattuor in ſe
Vncia habet, tot enim formis uox Graeca notatur,
Horis quot mundus peragit noctemq. diemque.
Vnciaq. in libra pars eſt, quae menſis in anno.

Haec maior Latio libra eſt, gentiq. togatae.
Attica nam minor eſt. ter quinque hanc deniq. drachmis,
Et ter uicenis tradunt explerier unam.
Accipe praeterea, paruo quam nomine Graij
Mnam uocitant, noſtriq. Minam dixere priores.
Centum hae ſunt drachmae. quod ſi decerpſeris illis
Quattuor, efficies hanc noſtram denique libram.
Attica quae fiet, ſi quartam dempſeris hinc, mna.
Ceropium ſupereſt poſt haec dixiſſe talentum, Cecropium
Sexaginta minas, ſeu uis ſex millia drachmas,
Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis:
Nam nihil his oboloue minus, maiusue talento.
Nunc dicam, ſolidae quae ſit diuiſio librae,
Siue aſſis: nam ſic legum dixere periti,
Ex quo, quod ſoli capimus, perhibemur habere,
Dicimur, aut partis domini pro partibus huius:
Vncia nam librae ſi deeſt, dixere deuncem:
At ſi ſextantem retrahas, erit ille decuncis.
Sed nullum reliquo nomen ſemuncia certum
Dempta dabit. neque enim eſt huius ſeſcuncia triplex.
Dodrantem reliquum uocitant quadrante retracto.
Cumque triens deſit, beſſem dixere priores.
Ijdem ſeptuncem dempto quincumce uocarunt.
Poſt haec ſemiſſis ſolidi pars maxima fertur.
Nam quae dimidium ſuperat, pars eſſe negatur,
Vt docuit tenui ſcribens in puluere muſa
Cetera dicta prius, quibus eſt ſemuncia maior.

De ponderibus, ſiue menſuris humidorum, & frugum.

ET de ponderibus ſupereſt pars altera nobis,
Humida metiri, ſeu frugum ſemina mauis.
Cuius principio nobis pandetur origo.
Pes longo ſpatio, latoque notetur in anglo,
Angulus ut par ſit, quem claudit linea triplex.
Quattuor ex quadris medium cingatur inane:
Amphora ſit cubus: quam ne uiolare liceret,
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

Huius

Huius dimidium fert urna, ut & ipſa medimni.
Amphora, terque capit modium, ſextarius iſtum
Sex decies haurit, quot ſoluitur in digitos pes.
At cotylas, quas, ſi placeat, dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas ſextarius unus,
Qui quater aſſumptus fit Graio nomine choenix.
Adde duos, chus, fit uulgo, qui eſt congius idem,
A quo ſextarij nomen feciſſe priores
Crediderim, quod eos capiat ſex congius unus.
At cotyle cyathos bis ternos una receptat.
Sed de abaco nobis id pondus ſaepe notatur.
Bis quinque hunc faciunt drachmae, ſi appendere tentes.
Oxybaphus fiet, ſi quinque addantur ad illas.
At myſtrum cyathi quarta eſt, ac tertia myſtri,
Quam uocant cyanen. capit haec cochlearia bina.
Quod ſi menſurae pondus componere fas eſt,
Sextarij cyathus pars eſt quae eſt uncia librae,
Nec non oxybaphi ſimilis ſeſcuncia fiet,
Sicilicumque tibi myſtro ſimulare licebit.
Cochlear extremum eſt, ſcripulique imitabitur inſtar.
Attica praeterea dicenda eſt amphora nobis,
Seu cadus. hanc facies, noſtrae ſi adieceris urnam.
Eſt & bis decies quem conficit amphora noſtris
Culleus. hac nulla maior eſt menſura liquoris.
Eſt etiam terris, quas aduena Nilus inundat,
Artaba: cui ſuperat modij pars tertia poſt tres.
Namque etiam modijs explebitur artaba triplex.

De ponderibus uariorum liquorum, & aquae.

ILlud praeterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus uarios ſeruare liquores.
Nam librae, ut memorant, beſſem ſextarius addet,
Seu puros pendas latices, ſeu dona Lyaei.
Addunt ſemiſſem librae labentis oliui.
Selibramque ferunt mellis ſupereſſe bilibri.
Haec tamen aſſenſu facili ſunt credita nobis.
Namque nec errantes undis labentibus amnes,

Nec merſi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes, par pondus habent: non deniq. uina,
Quae campi aut colles nuperue aut ante tulere,
Quod tibi mechanica promptum eſt depromere muſa.
Ducitur argenti tenuiue ex aere cylindrus,
Quantum inter nodos fragilis producit arundo,
Cui cono interius modico pars ima grauatur,
Ne totus ſedeat, totusue ſupernatet undis.
Lineaque a ſumma tenuis deſcendit ad ima
Ducta ſuperficie: tot quaeq. in fruſta ſecatur,
Quot ſcripulis grauis eſt, argenti aeriſue cylindrus.
Hoc cuiusq. poteſt pondus ſpectare liquoris.
Nam ſi tenuis erit, maiori mergitur unda.
Si grauior, plures modulos ſupereſſe notabis.
Aut ſi tantundem laticis ſumatur utrimque,
Pondere praeſtabit grauior: ſi pondere ſecum
Conueniunt, tunc maior erit, quae tenuior unda eſt.
Quod ſi ter ſeptem numeros texiſſe cylindri
Hos uideas latices, illos cepiſſe ter octo,
His drachma grauius fatearis pondus ineſſe.
Sed refert aequi tant umconferre liquoris,
Vt grauior ſuperet drachma quantum expulit undae
Illius aut huius teretis pars merſa cylindri.
  Haec de menſuris: quarum ſi ſigna requires,
Ex ipſis ueterum poteris cognoſcere chartis.

De inuentione argenti, auro in una maſſa permiſti.

NVnc aliud partum ingenio trademus eodem.
Argentum fuluo ſi quis permiſceat auro,
Quantum id ſit, quoue id poſſis deprendere pacto,
Prima Syracuſij mens prodidit alta magiſtri.
Regem namq. ferunt Siculum, quam uouerat olim
Caelicolum regi, ex auro ſtatuiſſe coronam:
Compertoq. dehinc furto, nam parte retenti
Tantundemq. argenti, opifex immiſcuit auro,
Oraſſe ingenium ciuis, qui mente ſagaci,
Quis modus argenti fuluo latitaret in auro,

Repperit

Repperit illaeſum, quod dijs erat ante dicatum.
Quod te quale ſiet, paucis, aduerte, docebo.
Lancibus aequatis, quibus haec appendere mos eſt,
Argenti, atque auri, quod edax purgauerit ignis,
Impones libras, neutrum ut praeponderet: hasque
Submittes in aquam: quas pura ut ceperit unda,
Protinus inclinat: pars haec, quae ſuſtinet aurum,
Penſius hoc namque eſt, ſimilari craſſius unda.
At tu ſiſte iugum, medijq. e cardine centri
Interualla nota, quantum diſcerpſerit illinc,
Quotque notis diſtet ſuſpenſo pondere filum.
Fac drachmis conſtare tribus. Cognouimus ergo
Argenti atque auri diſcrimina: denique libram
Libra tribus drachmis ſuperat, cum mergitur unda.
Sume dehinc aurum, cui pars argentea miſta eſt,
Argentique meri par pondus, itemque ſub unda
Lancibus impoſitum ſpecta: propenſior auri
Materies. ſubſiſtit enim, furtumq. docebit.
Nam ſi ter ſenis ſuperabitur altera drachmis,
Sex ſolas libras auri dicemus ineſſe,
Argenti reliquum: quia nil in pondere differt
Argentum argento, liquidis cum mergitur undis:
Haec eadem puro deprendere poſſumus auro,
Si par corrupto pondus pars altera geſtet.
Nam quoties ternis pars illibata grauarit
Correptam drachmis ſub aquam, totidem eſſe notabis
Argenti libras, quas fraus permiſcuit auro.
Pars etiam librae quaeuis ſi forte ſuperſit,
Haec quoque drachmarum ſimili tibi parte notetur.
Necnon & ſine aquis ★

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE